T[illegible] [illegible]iscus Regis S. J.

Gzowski Ioannis S. J. Multiplex et summorum etiam corona.

MULTIPLEX
Et Summorum etiam
CORONA
Sive
CONCLUSIO

Ad primam
B. IOANNIS FRANCISCI REGIS S. I.
GENERALIS planè BEATI
SINGULARIS Simul
INTER BEATOS REGIS,

Jnaugurationem
Sub Beatificationis ipsius auspicia in Dominicam 19. à Pentecoste, diem verò 11. Octobris incidentia; pro solenni illius, in pervigilio ejusdem Festi, inter Divorum aras ingressu;
Jn. Cracoviensi Regni Poloniarum Metropoli,
In Ecclesia SS: Petri & Pauli Soc: JESV,
Primâ Concionatoriâ Panegyri,
Simul brevi totius Beatæ vitæ argumento,

Per P. Joannem Gzowski ejusdem Societatis,
DEDUCTA
Anno à primo in orbē ingressu REGIS Regum Abbreviatô VERBO conclusi,
1716.

Sandomiriæ Typis Collegii *Societatis* IESU Permissu Superiorum

ADMODUM REVERENDO PATRI NOSTRO IN CHRISTO PATRI MICHAELI ANGELO TAMBURINO PRÆPOSITO *SOCIETATIS JESU* GENERALI

Multiplex hæc Summorumque Corona, quâ in Principe Regni nostri urbe, Beatum JOANNEM FRANCISCUM REGIS, *imò (si vel tituli faciem sacerrimo digneris obtutu) Generalem planè Beatum, aut Beatorum Sanctorumve Generalem, singularem simul inter Beatos Regem, publica donavit Inauguratio, Tuam etiam frontem, id est universæ Societatis ambit Caput, Sancto prorsus Generali congrua. Pater Admodum Reverende. Scilicet quotquot Neocoronatus* REGIS, *sortitus est, sua in Apotheosi decora; quotquot adorantium se populorum Procerumq; studia: Tui pectoris solicitudini. Tui laboris efficaciæ, Tibi denique debet. Nostri temporis Beatitudini, Tui Muneris Auctoritati,*

videbantur

videbantur reservasse Superi; ut quam Beatissimus JOANNES mereretur coronam; Tu imponeres, simul REGEM, simul preces Galliæ, simul orbis desideria coronaturus. Ex novem videlicet eousque Ordinis nostri Apotheosi donatis, Beatus JOANNES REGIS, veluti ex nono ultimoque Angelorum choro, Custos planè salutis humanæ aut Præcursor Angelus, ad Supremam Cœlitum Coronam Inauguratus sub Magno Angelicæ Reipublicæ Generali Duce Michaële; de quo illud Divinum ex Officio etiam hîc prorsus usurpare licet: Angelus Archangelus Michaël Præpositus Paradisi &c: nec enim sub Michaële vel terram aliter censere licet, quàm paradisum, aut cælum ipsum; quam tantô Beatorum Angelorumve ille augere studet numero. Unde honor hic Francisci, Tuus est Præsidum Reverendissime; aut quâdam gloriæ Societate, utriq; communis. Ardet Beatorum radiis JOANNES? Tu accendisti; infertur aris? extulisti; colitur? amatur? commendasti; regnat? coronasti: quidquid demum accessit JOANNI Gratiæ; præter sua merita, præter Clementis favorem, Tibi imputat. Virtutibus etiã suis in Te, propriũ diadema debet REGIS, eundem Sanctitatis suæ Patronum & Æmulatorem nactus: non aliam enim vitã vivis ab illa; quam in Cœlitibus honorari procuras; sequeris ea, quæ in illis amas; amplecteris, quæ in illis æstimas, ipso eximiæ probitatis exemplô probans universis, maximè Beatos coli sincerâ virtutum imitatione; maximè Beatum REGIS laudari, Regis ad exemplum vivendo; ut veluti tacitô svadæ melioris encomiô, illius in Te extollas sanctitatem. Frigida nimirum laus est; quam non confirmat morum approbatio: fucatus gloriæ color; si ideam non pingat vitæ similitudo. Omnia ergò in REGE Divinissimo, priùs imitationi postea publico cultui proposuisti: quæ enim comptius, vultum illum imago, quàm viva? quæ pulchriùs vel majorem hominibus Joannem, vel è Francisco Seraphinum facies pingeret, quàm Angelica? Brevissimum elogium, Omnia REGIS habes, Tuum est; & ideo tantùm non Tuum, quia brevissimum. Recense Supremi Officii Tui, hoc est sortis nostræ momenta: eadem, quæ magnis Generalibus Te inscripsit dies; Beato Joanni olim Imperium cum luce dedit; dies Societati prorsus faustissima; cui Reges nonnisi vel Generales tantos ad Regimen Supremum parit: acsi idem fuisset, Te Summum Societatis Præsidem creari, & Beatum Societati Regem nasci. Ex quo autem Vicarii, Præpositi demum Generalis, suscepisti Munus; decimum tertium jam absolutum imò absolutissimum communis lætitia notavit annum, tempus utiq; Apostolicorum B: JONNIS laborum: quasi, quot ille sua inter Montana, tot Tu in summo Religiosi honoris fastigio, meritis emineas. Quoniam verò Officii operosa sedulitas Romam Tibi, Te Romæ affixit; quominus

Offic: Div. de S. Michaële.

A. R. P. bienniô antè Vicarius Generalis, plenô titulô cæpit regere Societatem annô 17 6. 31 Januarii creatus eâ diè Præpositus Generalis; quâ ipsâ olim natus B: JOANNES FRANCISCUS REGIS.

nus Florentissimam Francisci sudoribus Provinciam cæterasve obeas: prospicis tamen ab universi arce, veluti suo de cœlo sol; ut etiam nunc, certantes pro Dei gratiâ, pro Divini Vicarii gloriâ, pares B: REGI Francia, pares Franciæ quævis Provincia, habeat Copias. Perennes gratias primum Societatis seculum agit MUTIO, quod ille, quà æternitatis approbatione, quà sui honore Regiminis, quà B. REGIS vitâ tunc & laboribus defuncti elogiis coronavit; cùm Sanctam illius operam, Sanctos labores, Sanctissimam occupationem, *veluti primô secuturæ gloriæ præsagiô, (quâ Jgnatium Xaveriumq; decoraverat annumeratum Cælitibus;) appellaret: TAMBURINO posteritas Jgnatiana debet; quòd alterum quoq; Seculum propè jam claudat in laude Joannis cumulatâ; suaque Beata centenia, nisi sub* Rege Seculorum *terminet JOANNE. Videlicet Neo-Beatus REGIS seculorum ætatumque pænè omnium humanarum sanctitatem complexus; ubi primum Societatis sanctissimâ suâ morte clauserat seculum; simul alterum exorsus est nostrum, alter planè Phænix,* Conscius ævi defuncti, reducisq; parans exordia formæ: *quinimo ad solennem suum inter Divos ingressum, propè illud concludit; præterquam enim, quòd nunc centum omninò computemus annos; ex quo, seculo relicto Societatem nostram iniit: ut etiam hìc suâ* Apotheosi *totum Religionis suæ claudat seculum, acsi non unus, sed centum in uno illo forent;* Centumve viros spectabis in uno; *spetuaginta bene effluxere secundo Societatis Seculo anni; diciq; ex merito potest, quòd alterum id seculum à morte B. REGIS fluxerit* 70. annis sicut dies Regis unius; *ut etiam de Divinissimo REGIS ad terminum primi seculi nostri, Multiplici jam Corona Inaugurato, illud sacræ paginæ usurpari posset;* Vocabitur Pater futuri seculi, multiplicabitur imperium ejus. *Quod olim* Jano *fabuloso Numini Regiq; annorum; non una idcirco corona insignito, Vates adscripsit: illud ego jure merito Beato hodierno JOANNI REGIS, planè* Regi seculorum *attribuere possem;* Novum fastis aperit felicibus annum, ore Coronatus gemino. *Exorsus fortunatè nostrum concludit simul, nec unum seculum; concludit simul tot, etiam supremos; cœli Coronatos, ad multiplicem suæ Sanctitatis Coronam: hic quoque in sacra ejus Apotheosi* in Ascensu Altaris Sancti circa illum Corona Fratrum amplificare oblationem excelsi Regis. *Bene precare duntaxat REGIS Beatissime, jam non Pater futuri seculi sed nostri, quod & sanctissimâ morte Tuâ, & ad Coronam immortalem ingressu, fortunatissimè exorsus es: (liceat verbis sacræ hujus Tuæ panegyris, etiam hic uti;)* Benedices Coronæ anni Benignitatis Tuæ: *ut elapsis quoque* 70. *annis ad terminum hujus secundi Societatis seculi, imò sine*

A. R. P. Mutius Vitelescus Præposi: Gen: S: J: in datis 1637. 17 Nov: ad R. P. Joan: Fillæum Provincialem Tollosanũ, & ad R. P. Jgnatiũ: Armoux Coll: Anciensis Rect: tum anno 1639. 15. Apr. tũ 1641. 15. Febr: proximè post Sanctam B. REGIS mortem: ut refert processus ejus Beatif: de Virt: Heroicis.

B. REGIS obiit 31. Jan: 1640 ultimo scilicet primi Seculi Societatis annô quod terminatum est 27 Sept; ejusdem anni.

Claud.

a. [illegible]
b. [illegible]
c. [illegible] 2.
d. [illegible] 3.

Eccle: 50

Pf. 64.

termi

terminô, dies nostri sint non alii quàm dies Tui; sicut dies Regis
Ps. 60 unius. *Benedices Coronæ sæculi Beatificationis Tuæ*, Dies super dies Regis adjicies, annos ejus usque in diem generationis. *Ut ad primam Inaugurationem Tuam, plurium est & summorum etiam, integrarum quoq; ætatum Corona, quas in* Te *concludis; nimirum quod*
Claud. *de Phœnice protulit Pòëta*, Te secula teste cuncta revolvuntur: *Te ipso id quoq; seculum coronabis; coronabis olim, quod Caput est, immortalibus seculis dignum*, ævo Angelico *parem, inter homines Angelum, inter Angelos Præsidem, inter Præsides Phœnicem; qui sacris Tuis honoribus coronam imposuit; ut tam multiplici Tua Corona, præsens nostrum seculum prope jam concludat, Tuis elogiis antè inchoatum à* Mutio; *plusquàm Scævolà. Illud tamen interest, inter Magnum nostrum* Mutium *Maximumq; TAMBURINUM; quòd ille primum Societatis seculum perhibeatur clausisse, cum publica Deo gratiarum actione omnium non solùm populorum sed etiam Principum Christianorum; hic secundum nostrum seculum, suo Regimine secundissimum videatur pœnè concludere cum ipsorum quoq; gratiarum actione etiam Cælitum; quorum sacros honores & apotheosim promovet, Beatissimus propè, qui Beatorum numerum non minùs curæ suæ, quàm virtutum sanctitate auget; Beatam reddit etiam in terris Societatem. Quare excede etiam Mutii felicitatem Præsidum Maxime: ille primum clausit seculum, & inchoavit alterum; tu secundum fini, tertium inchoa & vive integrum; non aliter enim Integerrimo Præsidi vovere licet.*

Non vile ad Coronam suffragium porrigit illa, quâ Poloniam Tibi obstrinxisti, obligatio: ut enim commune, quô orbem prosequeris studium taceam; certè Lechiam amplecteris speciali; undè si gratiarum Tuarũ mole, si favoris amplitudine sese metitur Polonia; gens non omnino est postrema cæteris. Princeps beneficii Tui ara est; quã STANISLAO Regni nostri Tutelari, *novâ ornatã titulo erexisti, Beatitudinẽ nostram in sanctitate amplians Stanislai: cujus, in sacrâ quoq; hac panegyri B. REGIS ad coronam fit mentio. Iam Decreta Vaticani, id est spei devotæ characterem, triumphali cum applausu, CLEMENTI honorem*, Tuam *efficaciam celebrante, legimus; simulq; pedes Pontificios Sanctissimi, manum Sanctissimam TAMBURINI, simulsacerrimum Curiæ Petri Sigillum, osculati sumus; coronam duntaxat Apotheosis omnibus votis desideratæ*, Tuæ *dexteritati & gratia innixa exspectat spes Polonorum, non alio auctore sperandam; eamq; pretiosis etiam precibus (ad quantas populi devotio in Regni egestate sese potest colligere;) expetit. Non in STANISLAO duntaxat, Nomini* Tuo *Lechiam obligasti; Stanislavoviam jam cultiorem literis, jam*

sedulo

ſedulo operariorum labore ſanctiorem, Tuo ſub Gubernio accepit Polonia; admiratur Ruſſia. Crevit aucta Collegii dignitate, Areopagus ſarmatiæ, Themidis domicilium, Petricovia; alibi jam domorum ſcribit fortuna plantas; ut olim aut magnitudine, aut fructu, aut utroq; Tua commendet Regimina. Sed quò propiùs Poloniam cordi admoveres; Emeritiſſimum olim in omni ejus Cathedra Profeſſorem, in nobilioribus Collegiis Rectorem, in Provincia Præſidem, R. Patrem VALENTINUM QUECK; quem vel nominaſſe, ſatis eſt laudaſſe iteratò magnis meritis præmiô, ad ſummam Aſſiſtentis Dignitatem, proximè antè, inter ſupremos librorum & ipſius ſapientiæ Arbitros, primum è Polona Provincia erexiſti: ut pari æquitate ac perſpicaciſſimo delectu, aliorum quoq; merita in Curiam Tuam attollis; viroſque adſciſcis probitate inclytos, Sapientiâ ſpectatiſſimos, ingentibus muniis exploratos atque probatiſſimos; dexteritate agendi conſpicuos, authoritate pariter ac meritis graviſſimos, nominis integritate illibatos, ſanctitatis gloriâ inſignes, denique per omnia Summos, id eſt Te dignos.

Cæterùm parva, aut magna quidem, inferior tamen Munifico Patre, menſura eſt Polonia: per univerſum diffuſæ Societatis amplitudine, Tua metire beneficia; quorum maximum, ipſe es; nec poteras majore Religionem afficere. Non redeo ad virtutum Tyrocinium; quamvis & tunc Munificus in Societatem dici poteras; cùm ſpes ejus de Te altiſſimas enutrires. Non ad ſublimes Nobiliſſimæ Provinciæ Venetæ cathedras; in quibus unum duntaxat inſolutum reliquiſti dubium; Doctoremne ibi Angelum, an Angelicum Doctorem egeris? non ad præclarè geſta Munia primarioſq; Magiſtratus, ubi non Domos ſed Provincias, non Provincias duntaxat ſed Rempublicam Lojolæã regere merebaris. Et verò Principes etiam regere poteras; cujus ſanctioribus conſiliis Sereniſſimus Mutinenſis Princeps ſuum ſubmiſerat caput. Attollit etiam num præſenti conſilio Sereniſſimum eundem Ducatum, Illuſtriſſimus Frater Tuus, Supremus Principis Conſiliarius an Conſiliariorum Princeps; nimirum germana Tibi eſt, quæ par regendis imperiis Sapientia. Huc egregiè acta Procuratoris Romam deſtinati, electi in Congregatione Generali Secretarii, munia ſi revocem; ſatis hoc ad TAMBURINI gloriam, non ad meritum erit. Secretarium totius Societatis agat, neceſſe eſt; & Arcanorum Cuſtos, Angelus ſit: Demum præmium virtutis Tuæ Suprema in Republicâ IGNATII Dignitas, gratia Tua in nos eſt, quibus ita præes, ut nihil priùs imperes; quam gratitudinem & amorem, Quæ verò Tua gubernandi Sapientia? quantus prælucet virtutum ſplendor? Moderaris Societatem univerſam Præſidum Præſes, ceu genuina recti Idea, ſuprema virtutum Regula, & imitanda cunctis faſcibus laudatiſſimi Regiminis Norma. Nimirum Tuam Religionem efformas ad

virtutem omnigenam, sublimitate mentis, sed demissâ; promptitudine consilii, sed forti, suavitate vultûs, sed gravi diligenti legum vigilantia, sed placidâ juxtà ac mansuetâ. Plus tamen comitatẽ, quàm exeris rigorem, Numinis imitator; ne non Divina sint, quæ decernis, sancita. Effulges animô ad subita quæq; inconcusso, in adversis impavido, nec ad ullas rerum vices ambiguô. Par menti inest authoritas quæ alibi supra modum reverenda, in Te Admodum suis æquabilis, æstimanda aliis, universis probatissima; deniq; probitati amabilis, formidanda noxis. Recolligimus tenerrimam Solicitudinem Tuam *de nobis, in gemmea de Oratione adeoq; meditatione epistola; nunquamq; Angelicum illud loquendi genus magis placuit, quàm Angeli commendatum stylo. Legimus saltem alii, (quos longissimum terrarum divortium â Tuo procul removit ore, aspectu, eloquentia;) legimus inquam traditam monumentis immortalibus* Tuam *supremi Ascetæ Sapientiam, simulq; suadam, quibus communem illam ad nos Epistolam imbuisti. Quam isthic, horrifico fulmine in orandi langvorem detonas? quàm gravi rationum pondere placidam flectis voluntatem? quàm gratis moribûs dulcem pietatis sensum delinis, invitas, solicitas? quanto Spiritûs æstu succendis ardentissimum precandi studium? Innectit rationem arctissimus argumentorum nodus; compungit intima præcordia Spiritus: & docilem animum facundissima demulcet suada. Discimus quàm fortiter peroret sive facunda sanctimonia, sive sancta facundia. Discimus quàm arctô cohærere possit vinculô sacerrimum pariter ac ornatissimum dicendi genus, An enim non acutissimos Chrysologos, non mellifluos Bernardos, an non aureos Chrysostomos, Divinior etiam commendat eloquentia? Pulchrum id! cum dictionem simul Spiritus animat, simul comit tersissima suadæ gratia. Gestiunt honoratiores factæ Te Archi-Præside scientiæ, seq; Tuo à favore æstimant; quòd in magnis Nominibus decoratæ emineant; & in Tuo affectu æquè ac animo regnent. Jam voluminum ego negotia superraverim; si in imperando suavitatem, in componendis causis facilitatem, in tractandis subditis clementiam, in satisfaciendo Principibus etiã universis (quod rarum alibi, in* Te *singulare est;) felicitatẽ explicem. Generalatûs* Tui *hoc sortitus es elogium; quòd Principum quòq; animis imperare scias; cùm ad illorum mentem præsideas. At quibus titulis effloruisse sub Te Societatem gloriemur? ne dicam superbiamus; (utrumq; enim felicitatis audacia & honoris præsumptio suadet:) jam* Kostkam *Apotheosis Decretô; jam* JOANNEM REGIS, *Beati nomine cumulasti; nec dees, ut Eminentissimum* Bellarminum *; olim sedis Apostolicæ beneficiô Parem Regibus, B.* REGI *parem efficias, tantùm Beatissimo minor; qui tam impensè Beatorum*

studes

studes cultui; sanè Michaëlis cœlorum Arbitri, per omnia exerces munus; Tuiq; Officii Dignitatem putas, examinatum vitæ pondus astris admovere; & ita Generalem agere; ut militiam cælestem in castra trahas Jgnatiana; ut non terrestris tantùm sed cælestis quoq; Societatis curam geras, hanc meritis augendo, illam gloriâ. Quò jam fortunæ nostræ non ascendit sublimitas? ubi Sanctiorem Cardinalium Rotam in Eminentissimo PTOLOMÆO *insedit; sive isti Sacerrimæ Purpuratorũ Patrum Orbitæ, omnigenam Sanctimoniæ virtutum ac Sapientiæ sphæram adjecit an Compendium, ipsũ scilicet* PTOLOMÆUM. *Hujus verò Purpuræ color, simul ingentium Eminentissimi Cardinalis operam, & Tui muneris ornamentum est; illius gloria, Tui Generalatûs commendatio; quòd Eminentissimo, olim præfueris. Jta & Beatis Sanctisq; & Eminentissimis auctiorem reddidisti Societatem; pluribus tamen Beatis & Sanctis quàm Eminentissimis; ut palam sit, plus Societatem agere, in suorum cælesti cultu promovendo; quàm vel pati in terreno, etiam Sanctissimo vel Sanctissimis proximô, admittendô: quanquam & Sancti ac Beati nostri, nonnisi sunt Eminentissimi; & ipsi etiã ex Ordine nostro Eminentissimi ad ipsos planè Beatissimos Sanctissimosq; titulos sunt Jnaugurati; ut missis aliis, vel ipse Eminentissimus* PTOLOMÆUS *Superminens mihi imò Urbi & Orbi argumentum est, non nativâ duntaxat sanctitate, planè originali ex stirpe Illustrissima, sed virtutum magis suarum suffragiô & re ipsâ sanctissimus, antequam titulô: qui idcirco nonnisi, Eminentissimi titulô, censetur, cælesti planè sancitô insignitus; ut sub eo titulo sanctitas emineret. Sed cur ego, peregrinum è Poloniâ libellum, tantâ beneficiorum exaggeratione onero? cur meritorum Tuorum documenta produco* Romæ *penitiùs ea intuenti, amanti intimius? Injurius honori* Tuo *sim, si nota narrem; & ceu gemmas in Piscariam feram: ut omnia complectar; MICHAELEM ANGELUM TAMBURINUM dico: & jam orationem, exitu; jam Te, Regiô, & tot nominibus Tuô, corono diademate. Admittes interim vel exile id, & Apici* Tuo *impar, (quid enim tanto Capiti par esse possit?) Regale tamen folium, tot titulis, cum Authore suo, Tibi per omnia devinctissimum; admittes vel ad extremam plantarum coronam; quas ambit,*

Plures è Soc: *Beati & Sancti* quàm Eminentissimi

Admodum Reverendæ

Paternitatis Vestræ

Reverentissimus Servus
& infimus Subditus
Joannes Gzowski S. J.

Simile est Regnum Cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Mat. 22
Beati quos invenerit Dominus vigilantes: Amen dico vobis quod faciet illos discumbere; & transiens ministrabit illis. Luc. 12
Ab initio mecum estis. Joan. 16

Verba sunt ex triplici Evangelio simul concurrente in prima hodierna solennia, magno, sub triplici nomine Servo Dei, Neo-Beato JOANNI, FRANCISCO, REGIS Confessori & Presbytero Societatis meæ initiata: prima ex præsentis Dominicæ, altera, ex ipsiusmet Beati Festi Evangelio: postrema demum ex Evangelio incidente & olim in Romano Vaticano in eandem Dominicam infra octavam Ascensionis, quâ inibi primùm hæc ipsa celebrabatur Festivitas, & hìc hodie per nostrum Regnum, postridie universim in nostris Sanctuarijs totius Poloniarum Regni, in gratiarũ actionem etiam Votivo de SS. Trinitate sacrô solennem, pro victoria reportata ab immortalis vel post fata Nominis Rege Sigismundo tertio, simul huius ipsius Vaticani nostri, simul festivæ hodiernæ ad eandem Ecclesiam pro eadem solenni gratiarum actione ex omnibus aliis sanctuariis Processionis, Fundatore.

VSque adeò ad primum etiam hìc dictionis sacræ argumentum supremi Capitis oraculo concessæ, in præconia Neo-Beati JOANNIS FRANCISCI REGIS, utpote Maximi pro Gloria Dei Zelotæ, Maximi etiam septies de die Ecclesiastæ, interdum ad defectionem quà virium, quà Spiritûs connitentis, ut sæpiùs ex suggestu ac templo efferri debuerit; qui ad omnium deinceps medicorum admirationem, etiam die supremi jam morbi, ultra assiduam in excipiendis confessionibus contentionem, die Natalis Domini & primi Martyrum Regis, Divi Stephani, septies ad populum dixit, donec concionantem Spiritus & vires deficerent; cujus tota omninò vita, ultra

tres, ſupra decem annos, inter rude colonorum vulgus in Apoſtolico munere exactos, quoddam fuit Evangelium! Ut ex eo illud quilibet, quod ex Hieronymo quispiam, legeret: *Vita ejus continuum fuit Evangelium*, Propè univerſum in ipſius panegyres effundit ſeſe Evangelium, ut ceu rupto aggere, multiplici themate velut alveo, in ampliſſimos laudum ipſius campos emanet, tanquam non una duntaxat ſed multiplex foret præſens feſtivitas, Jta eſt Auditores Lectiſſimi: ingens juxta ac multiplex eſt quam recens exordimur, prima B. JOANNIS FRANCISCI REGIS ſolennitas: cui parem quæ ſibi noſtrum omnium ætas ſuperſtes polliceri fidat? ipſius ſané eſt hæc feſtiva pompa, Regis ipſius digna nomine, quam craſtinum Dominicæ (imo jam & hodiernum) recolit Evangelium: *ſimile eſt Regnum Cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo* ſive, ut legit Origenes, *filio Regis*, an Neo-Beato Regi noſtro: cui etiam *Regalis origo*: Jnclyta Domus ipſius, plané *Regia ſolis*, plané Domus Regia, *Domus Regiorum* ut eam & Hiſtoricus nuncupat, à Regali nomine ſuam deducit ſtirpem ille *Filius Regis*. Nec tantúm magni & Clariſſimi Parentis ſui, verum & Regis immortalis, ſanè dignum agebat filium, gratiæ ſanctificantis in ſacro Baptiſmatis lavacro infuſæ, quæ nos filios Dei ad Beatam aſſerit adoptatq; coronam, retinens illibatè, teſte hiſtorico ſanctæ ipſius vitæ: *ſimile eſt Regnum Cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo, filio Regis.* Regalis planè cæleſti ſociata pompa, *fecit nuptias filio Regis*: quam magno ac illuſtriſſimo ſuis natalibus noſtro Regis publicè ad ſummam Divorum Coronam Neo-electo, à ſumma ſede promulgato, in ipſius coronationem Romanum primo Triregium, demum univerſa Regna ritè Chriſtiana, potiſſimum *Chriſtianiſſima Galliarum Corona*, id eſt (ſtylo magni noſtri hiſtorici,) *fauſtiſſima innumerorum propè virtute & dignitate ingentium virorum Mater*, & Patria illius, *tanquam ſuo ſanguini atque* Decori nunc & inRegno Poloniæ (præter alia per univerſum noſtra ſanctuaria) hìc in Vaticano noſtro Regale ſanè Sacerdotium Seraphico junctum cælo, principaliter verò (quod mihi Caput & ſumma rei eſt) Celſiſſimum Caput, planè Caput Præſulum, ad Principis, ceu ad Apoſtolicum gladium, Vaticanum propè in Illuſtriſſimo triplici Diademate Triregium gerens, ad hæc Clariſſima præſens Regni Poloniæ Metropolis ſimul ſancta Poli Poloniarumque Reginæ, Congregatio, non ſine feſtis ignibus, gentilitiâ ſua, velut triumphali Porta, hodiè nobis inducendo, ſolenniter publicis ac communibus certatim ſolatiis adornant: *ſimile eſt Regnum Cælorũ homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo, filio Regis.* At minor eſt, & impar huic Magno Beato hæc ſola, tanta licet, feſtivitas, minora, tanta licet ipſius ſacri inter Divos ingreſſus ſolen-

Bonetus

Jnſigne Celſiſſ.mi Principis Epiſcopi Cracovienſis hoc actu ſolennia peragentis, Caput cũ Gladio

Illuſtriſſimi Capituli Cracovienſis aſſiſtentis

solennia: ut vita ipsius continua fuit sanctior victoria, jam sui ipsius, jam pravarum de se opinionum, jam innumerabilium adversorum; prout id ipsum Summus etiam Pontifex in eo observat; quod scilicet *invictâ patientiâ* fuerit *decoratus*, ut etiam ei illud scripturæ, quod cuipiam, congruat: *Dominus Deus cum eo est & clangor victoriæ Regis in illo*: ita simul hodiè cum solenni hìc Processione, festam Gratiarumactionem, pro ipsius æquè hiscè victoriis, unà pro Beatificatione instituimus, simul ei pro tam heroicis actibus festos instruimus triumphos. Quinimo Numen ipsum instruit per Vicarios suos, etiam ministerium illi exhibendo, sicut in proposito à me pollicetur Evangelio: *Beati quos invenerit Dominus vigilantes, Amen dico vobis quod faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Ad festivum hodie ipsius in superna ingressum, in prima planè ipsius Vigilia, *Beati quos invenerit Dominus vigilantes*, progreditur Servator ad ipsius obsequia; & veluti processionem sacram instituit, eidem ministrando, ut vobis A. L. sanctæ processionis specimen exhibeat, ad ejusque obsequia omnium commoveat animos: *transiens ministrabit illis.* Deducit eum inter Divorum aras, facit Beatis assidere Cælitibus, *faciet illos discumbere*: quod ad secundam & tertiam vigiliam ibidem in Evangelio non legimus. Verùm dum ego vix ordior dictionem de Neo-Beato JOANNE FRANCISCO REGIS! vix in primo ipsius pervigilio Beatos illius titulos insinuo, quibus eum *in plurali* numerosis adeò dignatur Evangelium, tanquam unus ipse plurium complecteretur titulos & elogia! *Beati quos invenerit Dominus vigilantes*: cum ecce tibi eadem proposita Evangelij verba, tanquam in dicendi exordiis, ac in ipso quasi vestibulo salutationem Beati hospitis terminarent, an præcluderent, *Amen* veluti terminalem limitem obijciunt! *Amen dico vobis. Quomodo fiet istud?* Novimus ista voce *Amen* non tantùm terminum, seu finem, at etiam in Evangelio idem, quod & procertò, designari. Et procertò in primis statim auspiciis laudum B. JOANNIS FRANCISCI REGIS, in prima ipsius inter Divos salutatione, imò salutationis locò concludenda foret dictio, *Amen*, aut vale dicendum omni ut impari hìc eloquentiæ, *Amen dico vobis.* Ut aliàs Presbyteri sacra facturi, ad introitum aut ingressum altaris, ubi Sanctum Sanctorum & Divos Cælites in aram solenni ingressu introëuntes repræsentamus, dicendo, *introibo* & intro quidem; *ad altare Dei*, simul id proferendo salutari cruce nos signamus, veluti admirantes: non aliter hìc, admiratio duntaxat locum habet ad sacrum inter aras introitum B. REGIS mei, ad publicum ejus, inter Divos ingressum; ad primam ipsius inter Cælites salutationem, vix signo crucis formato sub dictionis

eidem solennitati, tres Coronæ,

onis exordium, *Amen* ſeu vale dicendum eſt omni digno illius elogio: *Beati quos invenerit Dominus vigilantes, amen dico vobis.* Amen, idem quod concluſio, ſimulq́; quod procertò ſonat in Evangelio : etiam proinde apud me procertò ceu Theologicum aſſertum & concluſio ipſis primis principiis Diviniſq́; Maximis innixa nunc eſto ; in prima hac humili hodierni Neo-Beati non tam panegyri quàm promulgatione hiſtorica : quòd ſcilicet Neo - Beatus JOANNES FRANCISCUS REGIS in prima ſua feſtiva Vigilia, dum primo Beati cenſetur titulo, *Beati!* in prima ſua Inauguratione, plures juxta, ac Sũmos in ſe concludit. *Beati quos invenerit Dominus vigilantes! Amen dico vobis* : in primis ipſius auſpiciis affari eum *in plurali* ipſe Chriſtus ceu plures poteſt : *Ab initio mecum eſtis*: Ad Neo - Beatum JOANNEM FRANCISCUM REGIS inter Divos aſſertum, Cæleſtes nuptiæ glorioſam & ſummam nanciſcuntur Societatem. *Simile eſt Regnum Cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo.* Verbo complectar, & concludam: Ad primam B. JOANNIS FRANCISCI REGIS Generalis planè Beati, ſingularis ſimul inter Beatos Regis, inaugurationem, plurium eſt ac Summorum ſimul Corona ſive Concluſio.

Nec aliud fore dicturo propoſitum accipite, ad Majorem ſummi Regis Regum Gloriam. Tuis auſpiciis Tuoque nomine *Corona Regia*, prout in te hunc ſuſpexit apicem Epiphanius, ſimul *Corona Sanctorum omnium*, prout Te hocce attollit titulo Divus Ephrem, Jmmaculatè Concepta Virgo & Mater Dei, ſimul Mater Beati hodierni Regis ; qui Te tanquam Matrem verebatur ſemper, ac colebat ab ineunte ætate ſua, velut ſingulariter memor Matris filius, è collo tuam ſemper ferebat effigiem ; à Tua Jmmaculata Conceptione vitam ſuam Religioſam auſpicatus, non alibi etiam poſt fata decumbere elegit, niſi ſub Tua ipſius Icone & ara ; qui totus diffluebat, quoties Te loqueretur ; cujus concionum univerſale ac perquam grátum fuerat argumentum, ſingularis Tuus honor ac Tui colendæ modus ſtudiumve. Benè precare Tu quoque ipſe Magne inter Divos hoſpes, B. JOANNES FRANCISCE REGIS ; quem hìc modo, in hoc ſanctuario, in hac tua arâ, pronis æquè capitibus ac cordibus ita ſalutamus ; ut Ludovicum Magnum ſuum Galliarum Regem Pariſienſis Senatus aliquando ſalutaverat, dicando ipſi tam artificioſum lilium, ut vix illud dextra prehendiſſet Princeps ; omnia floris corda omniſque vertex Regem demiſſè adorare viderentur. Benedic prodigioſé quondam Eccleſiaſta & Sacerdos ; qui à tenera ſtatim ætate, ardenti ſtudio, Deum precari conſveveras, ut concionatoribus quàm utiliſſima quàm fauſtiſſima contingeret dictio ; & ipſe demum non tantum oratoriam tradendo

facultatem

ſacultatem, facundum æquè ac efficacem agebas Apoſtolum; verùm ſemper etiam ſolitus es dicere virtute omnem humanam ſapientiam ſuperante, & pariter in ampliſſima Divi Petri Anicienſis æde, tribus duntaxat verbis, quinimò uno verbo etiam contra inveterata flagitia plus longè proficiendo, quàm aliorum Eccleſiaſtarum prolixa admodum ſvada, & tota dicendi contentio; cujus beneficio olim ad prodigium planè Tua ipſius loquebantur encomia etiam muti, tantùm non elingves. benedic impari ad Tua elogia lingvæ; ut ſicut Vaticano oraculo Benedictus ſeu Beatus celebraris; ita nunc incultâ dictione, (quæ Te prima hìc in Vaticano noſtro orditur exornare) benè ac fauſtè à me dictus audias. Hanc primam à Te gratiam flagitanti, liceat ceu Sanctiſſimum compellare, ac precare (utique enim ſanctiſſimi nomine adhuc ſuperſtes colebaris; Sanctiſſimum Religioſum Te ſemper habitum Canonizationis evulgat Religio) *benedicite Beatiſſime Pater.*

Proceſſus Beatiſi: de virtut. heroicis B: Regis.

Poſſem equidem in primo præſertim Beati mei hodierni inter Divos cultu, primum eidem aſſignare locum, tanquam hoſpiti; principes apud Deum vendicare titulos; coram quo & *noviſſimi primi*, illi maximè, qui ſemet ipſos ſtudioſâ demiſſione, ceu minimos, ultimo reponunt gradu: poſſem accomodatè ad Dignam Auditoris nunc mei Coronam verba faciendo, hac die, quâ S. Pro-Regis FRANCISCI BORGIæ meminimus, cujus hìc manè feſtos plauſus recoluimus; ut nobis Polonis Reges eligere ac conare liberum; ſi fortè nondum hac electione nimiùm exceſſimus, plures etiam ſimul ad unam Regni Coronam eligendo; maximè cum dulce ſit nobis meminiſſe JOANNIS REGIS; ô ſi liceceret * *refodere* quamvis non *Antigonum*! poſſem inquam ex merito B. JOANNEM ſimul FRANCISCUM REGIS, pleno & omni jure ſupra alios Beatos planè Regem Beatorum dicere, Eum in hoc Sanctuarium introducendo, & Inaugurationem ipſius exhibendo hìc videlicet in inclyta Metropoli; ubi Reges & in loco ſacro conduntur, illuc inducuntur, & coronantur; ac prorſùs & coronantur ſimul & in locum ſacrum inducuntur de jure ac priſca conſvetudine Regni noſtri. At ne videar pro domo mea Orator; aut nè fortè alicujus aures lædantur audiendo Jeſuitam vel Sanctum præferri cuipiam; B. mei REGIS nomen, maximis ultra alios cælites titulis minimè attollo; principem locum & titulum illi non defero; utpote ipſe poſtremus re, quamvis primus tempore, ex hoc ſuggeſtu, indignus ejuſdem Orator; qui idcirco tantùm huc concedo primus; quod cedere debeam omnibus ſecuturis, re ipſa *primus noviſſimus*: magnis aliis è veſtigio ſuccedentibus

Joannes 3 Poloniarum olim Rex ſemper invictiſſimus; cujus memoria in benedictione.

* *Laertius*

In coronatione Regum Poloniæ, Anteceſſor tumulatur ſimul Cracoviæ; & ſucceſſ: pedes ducitur in Rupellâ Craciam, ad ſacrum D. Stanislai Præſulis Martyris & Tutelaris Poloni tumulum.

tibus Ecclesiastis relinquo hanc Divi REGIS Prælationem sive Prioritatem: mihi interim suffecerit istud, quod posset quispiam opponere; quòd B. REGIS, ultimus interim inter Divos Cælites, finis illorum sit seu extremitas; suffecerit inquam mihi istud; ex quo ipso propositum meum deduco: quòd Neo-Beatus JOANNES FRANCISCUS REGIS velut ultima Sanctorum clausula, plures eorum etiam summos, quinimò omnes se ipso ac in se ipso comprehendit ac concludit, tanquam eorum finis ac extremitas, est planè eorundem Corona juxta vulgarem etiam illam paræmiam: *Finis coronat opus*: atque hoc ipso in prima illius Inauguratione & plurium & summorum simul est Corona sive Conclusio.

Verùm id ipsum luculentiùs tam ex sancta ipsius vita, quàm ex sacra pagina monstrare juvat. Hic dum ego in uno Neo-Beato IOANNE plures & summos ceu in corona complector; ecce quispiam per Regium Vatem Princeps portas ad solennem imò prorsus insolentem cujuspiam ingressum recludi an erigi mandat: *Attolite portas Principes vestras & elevamini portæ æternales & introibit Rex gloriæ.* Novi equidem hìc à coronato Propheta, ipsius Regis Regum Christi in gloriosa Ascensione triumphalem observari ingressum; ipsius est genuinus titulus *Regis, gloriæ*: veruntamen id ipsum Beato quoq; hodierno triumphalem pariter ac gloriosum inter Divos auspicanti ingressum supremamque capessenti gloriam, apprimè congruit. Utque ipse quoq; tanquam individuus JESU Socius, Divorum hìc in terris gloriam non aliter capessit, nisi cum ipsomet Servatore Domino, dum Romæ inter Ascensionis Dominicæ solennia, primum suum ad Divorum aras adornat ingressum. Quinimo idem Psaltes quasi id ipsum prophetico prævidisset intuitu; hunc ipsum ferè simul illius, simul Ascendentis Domini notat ingressum, cum ait; *Viderunt ingressus Dei mei*, REGIS *mei qui est in sancto*: ac si ingressus in gloriam & triumphus Dei Servatoris nostri, triumphus esset B. REGIS mei? vel triumphus & ingressus B. REGIS esset Divinus ac Christi triumphus. Et licèt illud quispiam posset opponere; B. REGIS utpote Beatum duntaxat, nec sanctum adhuc, minimè hoc sacro textu comprehendi; dum hìc ille tantùm notari videtur, qui in sancto sit & sanctus: *Ingressus REGIS mei qui est in sancto*; idq; sanctus sinè addito diminuente (ut severiores loquuntur scientiæ) quod eundem sanctimoniæ titulum diminuat; (quippe sæpe numero ipsa quoque addita titulos imminuunt) prout hunc titulum, sinè addito, ipsi Christo Angelus Divinissimam Virginem affatus attribuit, *Quod nascetur ex Te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quod ita mellifluus expendit Doctor: *Attende*

Psal 23

Psal 67.

tende, ad quid ita simpliciter sanctum & absque additamento dixerit; si diceret Sancta caro, Sanctus homo, vel Sanctus infans, quidquid tale poneret, parùm sibi dixisse videretur; posuit ergo indefinitè sanctum. Ego nihilominus vel ex hoc ipso propositum quod præfixeram, elicio, atque assero: quod licèt nec ipse quidem Beatissimus, nec quispiam prorsus in vita sit Beatus *post mortemque etiam sanctam & pretiosam in conspectu Domini* non facili pretio titulum Beati obtinebit, attamen quilibet modo longè alio à sacrarum cerimoniarum ritu, ante Beatificationem suam debet esse in ipsa omnino vita sua sanctus. Talis fuerat Beatus hodiernus FRANCISCUS REGIS; de quo perhibetur: *quod stati al obitù memoria ejus fuerit in benedictione, & vita in opinione sanctitatis*: quòd scilicet in vita adhuc, *Sancti* censeretur nomine; eoque ita generatim æstimaretur; ut sicut eodem sanctitatis vocabulo Christus ipse à Divino Spiritu absque ullo addito diminuente nuncupatur; æque & ille compellaretur, & ab illis quidem, quorum vox, vox Dei æstimatur: *Vox populi, vox Dei.* Decurrite sanctam ipsius vitam; & protinus perspectum habebitis; quòd eum populus, quem Apostolicâ excolebat operâ, Sanctum communiter absque omni addito, alioque compellationis discrimine nuncupaverit, & facilè quivis ex tam generali agnomine assequebatur, quòd istô non alius nisi B. IOANNES FRANCISCUS REGIS denotaretur titulô. Non cum addito quopiam unius speciatim alicujus Sancti vocabatur, non S. IOANNES, non S. FRANCISCUS, non S. REGIS, aut sanctus denique Sacerdos, (quamvis id quoque ingens profectò esset elogium,) at Sanctus Smpliciter generatim, *sinè addito diminuente dicebatur*; ut ex hoc ipso compertum & conclusum maneat, quòd unus B. IOANNES FRANCISCUS REGIS plures in se sanctorum titulos quin imo omnes Generalis planè Beatus, unus pæne omnium compendium, comprehenderit ac concluserit, dum ei acsi esset *Sanctus Sanctorum* exemplo Domini, generale Sancti nomen sinè addito prout ipsi Christo attribuitur. Nec ille quoque vulgaris B. IOANNIS FRANCISCI REGIS idem qui & Christi Domini titulus; quo Pater pauperum vulgò censebatur: non in eum tamen modum, quo nunc plerumque multos xenodochiorum reperias Fundatores; qui egenos per injurias improbè efficiendo, implent augentve nosocomia non proventibus sed pauperibus; qui pro tali hospitalium fundatione, post fata apud ipsos Lazaros tota æternitate mendicos efflictim agent, nullam unquam sui miserationem experturi. B. FRANCISCUM pauperies ac omnimoda egestas, Patrem planè, quovis loco ac tempore experiebatur

S. Bern: hom 4. de Adventu Dni.

Process. Beatifi:

 batur

batur. Enecabatur continuis ærumnis quæpiam mulier, cadaveri quàm viventi propior, hanc etiam è longinquo non accedere quispiam, non levare miseram ullus dignabatur: sufficit FRANCISCO de tam aflicta hominis sorte inaudire, ut ei ad usque supremũ vitæ diem, abjectissimo planè famulatu munificentissima æquè ac humillima præstet obsequia. Causas etiam mendicorum apud judices suscipit, Patronus egestatis; dumq; idcircò à nonnullis arguitur, quasi aliena à suo instituto tractet negotia perquam benè ac sapienter reponens. *Non humanum profectò inquit at ipsiusmet Numinis Patris pauperum, id negotium, ingenti prorsus religione æstimandum juxta priscum etiam illud effatum, Res est sacra miser.* Denique ut paupertatem Religiosam, ita universos inopes colebat & amabat, egestates ipsorum atque indigentias, mira solicitudine ardenti studio; omnigenoq; obsequio, velut multiplicatus levabat. Evolvite Auditores pientissimi sanctã ipsius vitã; & illic nunc ingeniosas juxta ac admirandas juvandæ miseriæ humanæ industrias addiscetis, vos præsertim, quibus non ex ipsa duntaxat charitate Christiana, at etiam ex justitia vel ex munere publico ea incumbit obligatio. E discetis ibidem, quoties eleemosynam frumenti pro pauperibus ostiatī corrogatam, quam per armaria apud varios civitatis incolas habebat repositam, cùm multò plus indigentiæ in miseris, quàm misericordiæ in ditioribus observaret, manifestô prodigiô sæpiùs multiplicârit exemplô Thomæ de Villa nova & aliorum diversorum Sanctorum, qui magno Eleemosynariorum nomine claruerunt imò exemplo ipsius Christi, unâ cum cælo egenis aut æquâ aut alternâ subveniendo providentiâ, ut adhuc frumentũ illud suas superaret penûs, non aliter omnino quàm Christus Dominus, ita prodigiosè multiplicavit panem famenti populo, ut adhuc residua fragmenta provisam excederent alimoniam. *Superaverunt fragmenta.* Quo ipso Beatus meus REGIS & se ipsum quodamodo in plures magnos multiplicavit Sanctos, complures in se ipso summos etiam Eleemosynarios complectendo atque concludendo. De illo hìc sanè ceu de multis fateri cum Psalte licet. *A fructu frumenti vini & olei sui multiplicati sunt.* Multiplicabat demum sese in alijs quoque personis, quas, ad eandem misericordiam jam adhortatione precibusve, jam institutione sancta induxit. Ut in duxit triginta illustres Matronas opibus potentes, ut diebus alternis captivos alerent, aliosve miseros. Damnumne cuipiam grave videatur? quòd in annum duabus supra decem vicibus ea miserendi rediret facultas, quæ totam æternitatem Beatam lucraretur. Fundavit insuper, ac perpetuis providit reditibus, Anicii, & Monspelii

Processus Beatif.

Ioan 6.

Psal 4.

pelii in Urbibus sui Galliarum Regni sanctum omnino cœtum ex locupletissimis ac primarijs fæminis; quæ ægrorum, pauperum, & cujusvis miseriæ humanæ, eorumq; præsertim quos inopiæ suæ pudet, præcipuam gererent curam; hospitalia alternis vicibus seu inviserent, seu sublevarent. O Beatos mores! visiationes sanctas! Tales utinam in Regno nostro vigerent; nusquam nos publica mala inflictaque cælitus adversa, adeò inviserent. Jamq; hæc sancta pientissimarum mulierum congregatio per plures Orbis plagas propagta, nomen commune *Matronarum Misericordiæ* accepit: ùt devotum hunc sexum, proniorem tamen esse ad miserendum exploratum est, quàm viros etiam Principes, vel titulô Clementissimos. Quare ejusdem pii sexûs, ubi ipse non valeret utebatur operâ ad sancta miserationis officia. Habemus Eccl: 44 *Viros misericordiæ*, habemus & in vivo ac continuo sanctitatis exemplo & in oculis pæne, Virum imò Prælatum prorsus Misericordiæ, Magnum, B. planè REGIS mei ritu, sub ejusdem etiam nomine, sed sub Prælata virtute, JOANNEM Elemosynarium: verùm absit, amplius de hoc proferre; quod ad sanctum duntaxat taliorum incitamentum innuitur, ita id sanctam ejus modestiam more B. REGIS atrocissimè læderet, ut alios gravissima calumnia: sit proinde tam præclara virtus, centena etiam millia in miserorum opem profundens, interim ante Divorum gloriam, eò gloriosius & illustrius sit sub nube sanctæ modestiæ, cum elogiis sacerdotis Magni Eccl: 50; *Quasi ARCUS inter nebulas gloriæ*: In hac multiplici æquè ac afflictissima Regni nostri calamitate, quod quæso nominari possent *Matronæ Misericordiæ?* at numerent has qui voluerint, indigentes præsertim, pauperes, miseri; *Pauperis est numerare*; Numerabit profectò & B. REGIS ad Coronam. Mihi suffecerit interim, quòd ille in tot Personis multiplicatus, etiam postquam mortem oppetierit, plures in se illosq; summos Sanctos Eleemosynarios sit complexus: *A fructu frumenti vini & olei sui multiplicati sunt*. Ita B. REGIS titulo ipsiusmet Christi Domini Pater pauperum fuerat. In Nativitate sua Christus è communi etiam exclusus diversorio; *Non erat ei locus in diversorio:* ex cluditur æquè permissu Numinis, B. quoque REGIS omni habitaculô, dum in ipso Natalis Divini pervigilio Missionis Apostolicæ gratiâ iter facit, ut ibi quiescere debeat; ubi locus non ad alios suscipiendos hospites idoneus, quàm ad pluvias & acres ventos undique adventantes. Quare hinc supremam contraxit ægritudinem, aliena magis salute quàm de propria solicitus. Non inter vulgares, quinimò inter singulares Christi Domini in Evangelio æstimatur laudes; quòd ad eum rude vulgus conflueret, illeq;

Perillust: Reverendiss. D. Ioan: Luczkiewicz Canon: Cath: Crac: S. planè sui ævi Ioan: Eleemosynarius.

 assiduus

assiduus abjectam plebem doctrinâ imbueret salutari: *secutæ sun eum turbæ.* Nihil ipsi erat solennius, quàm ad incultam colonorum turbam verba facere: reliquit aliis nobiliorem politioremque Auditorem, coram Herode Rege ne quidem verbum profatus; aliis id muneris committendo, *Dicite inquit vulpi illi*: de se ipso autem; *Oves vocem meam audient:* acsi diceret, Perorate vos ad Magnatum Principumve vulpes, pantheras, zebellinos, & si quod nobilius animalium nomen genusve est, ego ad agninas rucicolarum loquar pelles, ad viles abjectasque oves verba faciam, *Oves vocem meam audient.* Hujus modi erat Christi Domini prædicatio, tantùm excolendæ plebis studium, ut ad probandum Oratoribus à Joanne missis, quòd esset verus Dei Filius, id ipsum inter præcipua prompserit argumenta: *Pauperes evangelizantur.* Non alia & Beati mei REGIS prædicatio: hic enim non tantùm Pater, verùm etiam Apostolus, planè pauperum, plausus, acclamationes, respectus Principum fugiendo, simulque gnarus quòd in evectiori fortuna, sicut virtutes clariùs effulgent, ita vitia magis eminent, ut ibi etiam impensior Apostolicus labor minorem ex animabus reportet fructum, simul quòd non exiguam hujus laboris Apostolici partem, ob inanis gloriæ aut respectus humani quæstum, Deus expungat, dicens: *receperunt mercedem suam* idcirco licet in Urbibus quoq; non tantùm concionantem, verùm etiam catechesis rudimenta tradentem FRANCISCUM REGIS auscultaret refertissima Auditoris multitudo, qualis solet ad nobilissimum quempiam Ecclesiastam in solenni festo confluere, quæ ipsius catechesis semper ad quinque circiter millia numerabat Auditores, eo plausu ac fructu, ut fidem superet, prout perhibet Canonizationis processus: licèt & ad cultissimum quemq; Auditorem, cum juberetur, non minus appositè & ornatè quàm fortiter & zelosè summo omnium plausu diceret, ut præstantiores viri fæminæque per famulos longè ante concionem scamna occuparent, ut ne illum sibi tumultuantis turbæ multitudo eriperet perorantem; ubi dictionem terminasset, tota quanta quanta fuerat populi frequentia certatim inundabat confessionalia omnium sacerdotum, cum per multitudinem ipsum B. REGIS adire universis non liceret, fiebatque ut eis diu post meridiem commodandæ forent aures, plurima quoque ipsorum etiam Prælatorum ac Religiosorum, insolens aliis, ipsi consveta, frequentabat dicentem concio spectatissima: tamen nihil illi gratius quàm in pauperculam plebem zelum suum Apostolicũ prodigere; illius Ecclesiasten, eumq; quotidianum more Christi, etiam sæpius de die (quasi non unus foret in uno JOANNE REGIS,) agere, *Oves vocem meam audient.* Quotidianus si-

ſimul imò continuus etiam ab una ad aliam Miſſionem commigrando (planè ſanctus viator) pænitentiũ confeſſor, an importunæ multitudinis Martyr, noctes dieſq; integras (vix quandoq; duas horas ſomno in duris aſſeribus exacto) huic ſancto impendens labori ; adeò ut ſe de more, ſerò tantùm veſpere, præter quotidianam à carnibus & delicatioribus cibis abſtinentiam, ſolâ duntaxat emendicatâ eàque admodum tenui ſtipe, ut plurimùm malis ipſis (quæ hìc ſupra Regia poma vel in illa Jerem: 52. *malogranata ſuper coronam* & in coronam B. FRANCISCO REGIS abeunt ;) aut aliis fructibus fere duntaxat, præſertim verò animarum fructibus reficiat. Imò ſi de homine dictum ; *Non in ſolo pane vivit homo*: ille planè ſupra homines, aquâ & ſolo pane contentus, propè continuò jejunat ; ut legitur in Proceſſu. Ad quam refectionem, uſque pænè extrahendus è templo ; ita ipſi nulla mens cibi incidebat, pientiſſimos Apoſtolicos labores prægustanti ; ac ſi re ipſâ cum Chriſto diceret ; *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus qui miſit me, ut perficiam opus ejus* ; id eſt, ut perfectum reddam & concludam, ac plenè finiam ſeu coronem opus Dei ; *Ut perficiam opus ejus.* Eratque iſtud comune prodigium ; quòd unus REGIS præſertim in continua propè fame ac afflictatione ſui, tot tantoſq; ſuſtinere valuerit labores ; acſi plures in eo fuiſſent ; quo ipſo univerſorum admirationem tanquam miraculô rapiebat ; prout Proceſſus ipſius, atteſtatur. Ibidem verò etiam inter rudes & feros ruricolas, ſpectemus, quàm multiplex B. JOANNEM FRANCISCUM REGIS ambiat corona ? dum frequentiſſima populi avidè audientis corona cingit perorantem : nam communiter 4 aut 5 millia hominum ad eum confluebant ; quocunq; iter verteret ; cui effuſiſſimus quiſq; campus, aut mons vaſtiſſimus in Eccleſiam dicenti cedebat, ſuggeſtus ſeu Eccelſiaſtæ, ſeu Confeſſori rude duntaxat ſaxum. Neque beata etiam, ac multiplex ſuperſtiti adhuc deerat corona ; dum quod olim poſt concionem Chriſti, id poſt ipſius, adhuc tum juvenis Magiſtri concionem, quædam ſpectabilis Matrona acclamaverat ; beatam æſtimando Matrem quæ talem edidiſſet filium ! beatam & ſe ipſam, quòd illum concionantem audiviſſet ; beatiſſimam verò : ſeſe ſubjungebat fore ; ſi eundem ſæpius audire contingeret. Pellebat miraculoſè morbos lacinia veſtis Divinæ ; pellit & FRANCISCI fimbria : in una attritæ ipſius tunicæ orâ, totius prope Gallicæ oræ circumferebatur ſalus ; ipſi centones ejus, ſancto ſublati furto. non laceram at integram pluribus impertiebant ſanitatem ; ſufficiebantq; non centenis, ſed inmuneris planè prodigiis, de quibus Hiſtorici. Sanat miraculoſè Chriſtus Dominus ſanguinis profluvium ; ſanat hic quoque

Creuxius, Iroaus, Nadaſi, & alii

quoque ingens Galliarum Thaumaturgus. Fatiſcente jamq; animam agente Virgine, vix ubi more Chriſti præcipit domeſtico tumultuantium cuneo præter ſuum Socium, ſimulque & morbo atque jam jam imminenti morti procul diſcedere. Recedit è veſtigio Salvator Dominus quoties aliquem miraculoſè priſtinæ reſtituit valetudini, ſæpenumero ipſius fidei prodigium tribuebat: *Fides tua* Luc: 18 et alibi *te ſalvum fecit.* Ad hunc planè modum B. REGIS in periculoſis langvoribus, nè in eum, ſed in fidem ac pietatem alienam prodigia, quæ patraturus erat, referrentur, ſvadere primum ſolebat, concipiendum votum aliquod, nuncupandum anathema, aut precationem quampiam ad aliquem Sanctum, ut S. IGNATIUM, S. Mauritium, aliumve, recitandā: ubi illud cum D. Venantio Fortunata poterat apprime uſupari, *ſiderei Proceres, ad REGIS vota frequentes.* Sanavit cæcum miraculoſè Chriſtus Dominus, oculis ei pulvere illitis; ſanat & B. REGIS, ſuis de tumulo cineribus, cæcutienti citra doloris ſenſum admotis. Fugabantur ægritudines Act: 3. variæ ipſâ duntaxat nominis Divini invocatione, *In nomine Domini ſurge & ambula*: fugant eas plurimi, vix dum etiam Nomen B. REGIS appellant. Nimirum meritò Antiſtites Galliarū in libello ſupplici, quô efflictim ſacros honores Divi REGIS flagitabant, atteſtantur, quòd miracula olim à Chriſto patrari ſolita, redire & de ſepulchro, V: REGIS reſurgere videantur, *Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt*: quod autem *pauperes evangelizentur*, jam iſtud miraculum à B. REGIS in tota vita ſua ampliſſimè demonſtratum. Illachrimatus Chriſtus ſolymeæ ruinæ, *Videns* Luc: 19. *civitatem flevit ſuper illam*: & B. meus REGIS quoties opē Apoſtolicam, alicui loco, ferre nequibat, toties in acerbos ſolvebatur luctus, interitum & jacturam animarum deplorando. Tradit ſupremos ſpiritus Dominus JESUS, eosque in manus Patris æterni tradit *In manus* Luc: 23. *Tuas commendo ſpiritum meum*: B. quoque REGIS poſt eadem ſuprema verba in eaſdem Divinas manus Beatum reddit ſpiritum. Ita in ſanctis operibus & actibus, genuinus JESU Socius; ita Chriſtum referebat, ut ferè prout in Ioanne Præcurſore ſuſpiciebatur Chriſtus, *Meſſias es Tu*; & in Chriſto Joannes, ſicut & Rex He- Matt. 14. rodes, *Audivit famam JESU & ait hic eſt JOANNES ipſe ſurrexit à mortuis, & virtutes operantur in eo*: in B. quoque JOANNE REGIS, JESUM tanquam in vivo ipſius prototypo intueri poſſimus atque obſervare. Semper ille Deo arctiſſimè conjunctiſſimus, quin imò Deo plenus ita Chriſtum ipſum comprehendit in ſe ipſo ac expreſſit, ut cum Paulo gloriari potuiſſet: *Vivo ego, iam non ego,* Ad Gal. 2 *vivit verò in me Chriſtus.* Quare in triumphali B. REGIS inter Divos ingreſſu, illud de eo, meritò accomodari poteſt, quod

in

in solenni Servatoris Christi ingressu Regius Vates supra cecinit: *Viderunt ingressus Tuos Deus, ingressus Dei mei,* REGIS *mei qui est in sancto*: potest meritò utroque huic ingressui, Christi & REGIS Divinissimi ad Beatorum titulos hodie Inaugurati, adeò invicem sociato, id ipsum acclamari; *Attollite portas Principes vestras & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Ad hæc attendamus ea, quæ ipse Dominus vocando nos ad eundem secum gloriosum inter Divos Cælites ingressum, ait: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam quotidiè & sequatur me*: ac si diceret: quòd crucis viâ progrediens, pertinget cum eo ad gloriam: inde Ascensionem Domini ad gloriam immortalem, non aliter celebramus, nisi confestim post *dies Crucis*; ut *dies Rogationum* vocamus Poloni. At verò istud Divinum consilium, nonne prorsus executus B. meus JOANNES REGIS? ita omnino ille se ipsum abnegavit; ita quotidie planè, adeo multiplicem, & adeò gravem, (ut licet legere ex sancta ipsius vita) crucem suam sufferebat, quinimò unà crucem Domini, tanquam crucem suam ubivis impiger & avidus jam cordi appressam, jam in corde gerebat, jam propalam gloriabundus coram omnibus attollebat, ejuratâ planè omni famâ atq; gloriâ suâ, in cruce Domini universam laudem reponebat, ut ex gloria etiam cælesti comparens cuidam spectatæ virtutis Matronæ in nova Francia anno 1675 non aliud quidpiam nisi crucis signum dextrâ circumferret; an non ad singularem Divorum Cælitum coronam? illud Apostolicum ipso hoc facto suo ingeminans; *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini.* Ita nimirum & in generali omnium Electorum ad perennem gloriam ingressu, publico, non aliud nisi crucis Divinæ effulgebit signum: *Hoc signum Crucis erit in Cœlo.* Itaque quis jam inficiabitur? quòd isthæc *via Regia, via Crucis*, via plane mei REGIS, eidem Beato communem cum Christo ad triumphos immortales straverit ingressum; ut meritò id ipsum in glorioso ejus ad Divorum Augustalia aditu, quod in ipsius Christi triumphali ingressu dici debeat: *Attollite portas Principes vestras & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Quanquam ipsa etiam Ecclesia S. idem illi attribuit, & attribui præcipit, cùm de eo recensitum Psalmum cum iisdem verbis dici in officio Divino injungit. Ubi Regius Psaltes objecta sibi quæstione, *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus*; subjungit, *innocens manibus & mundo corde, hic accipiet benedictionem à Domino*: tum adijcit, *Hæc est generatio quærentium Dominum* ac tandem subdit adducta à me verba, *Attollite portas Principes vestras & elevamini portæ æternales & introibit Rex gloriæ*: quasi

Luc. 9

Bonetus

Ad Gal. 6

Offic. Div. festo S. Crucis.

E omnino

omnino in ſolenni triumpho B. REGIS, in tota vita ſua planè re ipſâ Innocentii, *Innocens manibus & mundo corde*, in prima ipſius Inauguratione, Coronatus Vates diceret; Quis precor glorioſo attolletur aſcenſu? ut ei ſeſe ſupremus etiam Summi Paſtoris Mons Gentilicius, profectò *Mons Domini*, demittat profundiùs, aut quis conſiſtet in loco ſancto, in ara Domini? *Quis aſcendet in Montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?* Iſte videlicet, qui prorſus eſt innocens in operibus ſuis, prorſus cordis innocui, iſte potietur Benedictione Domini, aut Beatificatione, ut inde Beatus celebretur: *Hic accipiet Benedictionem à Domino.* Quare eja Principes! recludite cæleſtes portas; levate beatos cardines, ad ingreſſum, ad Inaugurationem REGIS Gloriæ: *Attollite portas Principes veſtras & elevamini portæ æternales & introibit Rex gloriæ.* At quæſo, eccur in unius B: REGIS Glorioſo, ad Beatam Coronam aditu vix dum ſubiicitur; *hic accipiet Benedictionem à Domino*, hic inter Beatos adſciſcetur, continuò additur, *Hæc eſt generatio quærentium Dominum.* Ergone hic unus Beatus eſt tota generatio quærentium Dominum? Unus B. REGIS plurimos & ſummos quinimò omnes electos Dei in ſe comprehendit ac concludit? Ita ſanè accipite Auditores; *hic accipiet Benedictionem à Domino, hæc eſt generatio quærentium Dominum.* Singularis mei inter Beatos REGIS ſingulare id elogium eſt, ut ſimul Generalis ſit Beatorum, Generalis planè Beatus: *hic accipiet Benedictionem à Domino, hæc eſt generatio quærentium Dominum.* Unde neq; illud jam admiror, quòd in unius B. REGIS triumphali ad Divorum Regiam aditu, non una duntaxat porta, verùm portæ eæq; principes, numerosè acſi propter plures inſignes ac ingentes aliquos hoſpites, aut propter plures ſimul ſummos Coronatos, ab ipſis adeo Principibus recludantur, an eleventur ſublimius? an novæ & triumphales erigantur? *Attollite portas Principes veſtras & elevamini portæ æternales & introibit Rex gloriæ.* Cur ita; B. videlicet REGIS, in prima ſua Inauguratione, ad ſupremam Divorum Coronam, plures in ſe ſummoſque continet ac concludit; ad primam ipſius Inaugurationem eſt plurium ſimul & Summorum corona ſive concluſio. Et verò an id ipſum ei non attribuit Summus ipſe Pontifex clementiſſimè, nunc imperans CLEMENS XI? qui illum Beato inſignivit nomine, ipse utinam quàm diutiſſimè futurus Beatiſſimus; an inquā illi non attribuit? in oratione ſupra cæterorum Beatorum morem ſingulari de illo deſignata, imò à ſe ipſo compoſitâ ut certum ejus rei habetur argumentum, expreſſit, & complexus eſt *plurimos ipſius pro ſalute animarum labores, mirabilem charitatem, invictam patientiam, & multi-*

multiplicia ſanctimoniæ *exempla*, *multas ejus in plurali intercessiones invocando*, ceu *multiplicatis* in uno illo *intercessoribus*; quod in ſua oratione S. Eccleſia de Omnibus Sanctis uſurpat. Complexus inſuper præter morem, utrumque ipſius nomen IOANNIS & FRANCISCI; quaſi non unum in eo Sanctũ ſuſpexiſſet. Quod ipſum planè totum & in ſuo Brevi Beatificationis comprehendit, memorando ſimul *immarceſcibilem gloriæ coronam*, immarceſcibilem, inquam, adeoque quaſi contextis variatam floribus, ac proinde vel eo ipſo multiplicem gloriæ Coronam, tanquam meritis B. REGIS mei debitiſſimam. Teſtatur id quoque Roma; quòd idem Pontificum Maximus æque ac Clementiſſimus ſingulari eundem Beatum colat pietate, etiam hoc titulo, quòd ante ſupremum Pontificium Clementis nomen, eadem ipſa quæ B. JOANNES FRANCISCUS REGIS eodemque prorſus ordine geſſerit Nomina, dictus antè *JOANNES FRANCISCVS ALBANI*. Ita hic ad primam B. REGIS Inaugurationem plurium & ſummorum Corona; ubi videre licet demittentia ſeſe jam Romana etiam Summorum Pontificum Triregia, jam ſanctas Regalibus diadematis pares Eminentias, (quibus in ſua Inauguratione dicitur: *Facio Te parem Regibus, majorem Principibus*) ſingulariter promoventes Beati REGIS mei Inaugurationem, pro quibus erga hunc Divum ſtudijs, pares in Eminenti ſint ipſis gratiæ; Hìc ſimul Galliarum Corona, & alia univerſa Regna orthodoxa, hìc Principes Mitræ, hìc & *Grandes Hiſpaniæ*, & *pares Franciæ* pariter ſeſe illi demittunt: hìc velut olim in adventu publico Magni Joannis Præcurſoris Divini confeſtim illud reſonabat, *Omnis Mons & Collis humiliabitur*, non aliter in ſolenni alterius hodierni JOANNIS ad ſuprema aditu pro illis ſummis inter montana Gallica Apoſtolicis laboribus, ubi maxima ſuæ & alienæ ſanctimoniæ faciebat fundamenta, demittit ſeſe, & ſepticollis Roma, & ipſi quoque ſupremi Paſtoris Montes Summi, *quibus par nihil & nihil ſecundum*. *Omnis Mons & collis humiliabitur*: planè *fundamenta ejus in montibus ſanctis*; nam & in Montibus Sanctiſſimi. Gentilitia ejusdem ſummi Pontificis Iris cùm ſuper ſuis, tum ſuper illis, (quos labore ſuo B. REGIS conſecraverat) Montibus ſanctis, prorſus in Coronam ipſi aut *triumphalem ſinuatur in arcum*, Ipſa quoque ſuprema ejusdem Stella, inclinat ſeſe adorando veluti hunc *Joſephum* aut *Accreſcentem*, tot illosque Summos in ſe ipſo concludentem, qui illud pænè de ſe ipſo fateri, quod Joſeph poteſt, *Vidi Manipulos, Lunam, Solem & Stellas Undecim adorare me*; cùm eum præter Regios Iagellonum Manipulos utpotè in hac ſacra æde Fundatorios, præter ſereniſſimum Coronæ Gallicæ Solem cum

[Margin notes: Luc. 3; Martialis; Pſal. 86; Claud.; Gen. 37]

univerſo ſuo, quantus quantus eſt horizonte, *Reges utique Regnorum ſoles*, adorat ſuprema quoque (quæ una utpote Solis juſtitiæ Vicaria vel undecim inſtar cenſeri poteſt,) adeò numeroſis Montibus & univerſo Orbi præfulgens Avita Clementis XI Stella: *Vidi Manipulos, Lunam, Solem & Stellas Undecim (an Undecimi) adorare me.* Adorat, inſolitamque illi addit lucem, Illuſtriſſima ſanè Luna, toto ſplendore ſuo ad inſignem IESU Crucem converſa, tota propter illam & in illam ſeſe profundens; quæ quaſi Phæbi inſtar, vel Apollinis eſſet Parnaſſo, in lucem publicam ad prodigium pænè nunc prodiens; inde dignum planè B. REGIS nomine prima eidem confert ſplendorem, ad decus Poli noſtri, aut Poloni noſtrique ſimul Cæli: utque omnium ferè B. REGIS virtutum radios, ad multiplicem & ſummam Coronam in ſe complectitur; ita hoc quoq; ſanctioris Enthei geniô ipſum etiam æmulatur Beatum REGIS; qui pariter Orationes ſacras digno verſu patrio proponere uſui publico conſveverat, quo indigna mentione carmina è manibus menteq; omnium excuteret. Huic proinde pluſquam, Perilluſtri Lunæ, adeo B. REGIS ſanctitatem illuſtranti, ejuſdem ſuffragiô, (qui vel ſcriptores vitæ ſuæ tantò magis laudatores longioribus vitæ annis vel prodigioſè remunerari ſolitus;) ante Beatæ Æternitatis circulum, non menſis ſed illud ævum plenè ſerviat; quod ſe ipſa notat & exprimit; ſit ut Eccl: 43 de illa planè, nam in creſcenti poſitâ dicitur, *Luna in omnibus in tempore ſuo ſignum ævi Creſcens mirabiliter in conſummatione. Vidi manipulos Lunam Solem & Stellas undecim adorare me.* Ita B. REGIS meum, totum propè cælum terreſtre demiſſo reveretur cultu, pro illo propter Deum ita exinanito ſuo nomine, ſpretâ gloria; ut potiſſimam voluptatem ſuam ac dulcedinem æſtimaret, ſannas, contemptus, ſugillationes, opprobria; ut quærendo ubiq; abjectionem ac poſtremam apud omnes æſtimationem ſui, planè exemplo Chriſti eſſet *ſaturatus opprobriis*, quinimò ſaturari illis nequiret; ampliusque illa & amplius longè majori ſtudio, quàm alij honorẽ, humanasve laudes ambiret. Cedant faciliùs alii, omni, & cõmuni, ad ipſos etiã cibos vilemque amictum, jure, quàm a d famam ſuam: B. REGIS, exemplô ipſius Chriſti Domini dicentis, *Ego non quæro gloriam meam*, præcipientisq; perfectis ſuis imitatoribus plenam ſui abnegationem, *Qui vult venire poſt me, abneget ſemet ipſum*, exemplô ſimul ac monitô magni Fundatoris ſui Divi Jgnatii, per tertium ſeu ſupremum humilitatis gradum, gloriam tantummodo Dei & contemptus ſuos quærens, famæ ſuæ nuntium remiſit; ac eam propemodum ejuravit, conſtitutâ ſibi inviolabili lege; ne unquam famam ſuam defenderet: cùm ei graviſ-

Inſigne Perilluſtris M. D. Thereſsiæ Apollinaris de Malczovſcijs Stradomska Dapifera Ovrucenſis, (quæ pium Officium Polonicum de B. REGIS in publicam lucem edidit,) Luna Creſcens ad Crucem verſa.

Joan. 8

ſima

ſima etiam inſpergeretur nota: documenta ſuæ Innocentiæ promebat nulla: quinimo cùm inter publicas, juxta ac acerrimas objurgationes verſanti offerretur; ut aliò concederet migraretve, ubi parem Dei gloriam promovere poſſet, gratias retulit favori, eum locum deſtinanti; in quo parem quidem campum ad meſſem Apoſtolicam habiturus eſſet, non adeò tamen contemptuum ac infamiæ feracem. Iſtos ego agros, campos crediderim Oratorios; in quibus hodie objurgationes illæ aſperrimæ, in objurgationes encomiaſticas effloreſcunt. Ejurent ſacroſanctè conſpicui Religionis meæ Profeſſi honores quoſvis, dum illis; id ipſum majoris eſt honoris loco; quippe *magnum delata poteſtas, majorem comtempta probat*; adeo, ut quod, Ariſtippus Platoni dixiſſe fertur *calcas faſtum majori faſtu*; hìc non nihil immutando dici queat, *calcas honorem majori honore*: illud me judice longè majus eſt (ut aſſentientur non ignari,) quòd B. meus REGIS, non demittendo tantùm ſed prorſus deprimendo caput ſuum æquè ac dotes, & hunc ipſum honorem ſeu Profeſſi titulum, quo inſignes noſtri ornantur, impenſa humilitate non admittendum duxerit; quare per vim propemodum ac enixas preces apud Superiores extorſit planè; ut ab altioribus ſubmoveretur ſcientijs, quo ipſo apud alios parvi eſſet: viamq; ſibi hac ſancta arte ad eminentiora præcluderet munia, & quamprimùm in Apoſtolatum ſuum provolaret: etſi cùm ex clariſſima ſtirpe, tum ex educatione cultiſſima, tum ex ipſa natura ac indole elevatiſſima, ad omnia etiam ſuprema munia apprimè foret peridoneus; ac ſeu ingenuo, ſeu quibusvis aliis dotibus longè cæteros antecelleret. Fugit altiores ſcientias ac honores vir ſubmiſiſſimus, cum Apoſtolico labore in montes contendens, more ſcilicet ipſius Chriſti; qui pariter ab honoribus, quos ei commune deferebat ſuffragium, in montem declinavit: *Cùm cognoviſſet quia venturi eſſent ut facerent eum Regem fugit in montem.* Quis denique explicet omnes ipſius profundiſſimæ humilitatis & exquiſiti contemptûs ſui artes? quas ſi vel narratione nuda perſtringerem, ampliſſimam implerem concionem, quinimò excederem. An non ingens, quæ etiam ultra fata protenditur, demiſſio? quòd ſcilicet in celeberrima Anicienſi urbe, ubi ſancti nomine ſuperſtes ab omnibus colebatur, in ſuo illo Collegio Clariſſimo, ſupremum diem obire noluerit: verùm prædicta ſibi ibidem morte, ac impetrato ſibi à ſuperis tumulo ignobilitate loci obſcuriſſimo, in pago ferè inacceſſo, juxta, ac deſerto, contendit in delectum locum; ut inibi Apoſtolico ſuo muneri immoriatur, ac in alieno ſepulchro, (hic quoque Chriſti imitator,) condatur. Ubi fatis proximus, maximas crucifixo refert gratias; quòd ei in

Claudid. Palladio

Joan 6.

 tam

tam obſcuro & anguſto vico, inter incultam plebem ſibi gratiſſimam, fractas laboribus exuvias ponere liceat. Verùm ignobile illud ac humile, ceſpite duntaxat tumens ejus ſepulchrum, ac pagellus deſerto tum ſimilior, tribus non amplius tuguriis ſurgens, aut magis reptans, ita miraculis extemplo inclaruit; ut eum populoſæ urbes ac integræ Provinciæ tributis opibusq; augerent, quas in honorem illius ſolvi imperavit pietas liberalis. O fortunatum tanto Depoſito Lalovescum! id videlicet loci an verius loculi protunc, nomen; qui tamen loculus in populoſam ferè urbem jam fertur abiiſſe. Conſeſtim medio die ad perſolvenda S. Viro juſta, aliquot ſupra decem millia hominum prodigioſè certatim eò inundarunt; mox poſt fata ac demum conſtanti eo uſq; pietate omnium ſtatuum & totius Regni Franciæ tanta ad ejus tumulum confluxit undequaque multitudo, populo quandoque decem millia ſuperante; quantam, ſèu conſtantiam ſeu numerum ſpectes, nullus inibi in Gallijs etiam ad celebratiſſimi cujuſq; Sancti tumbas obſervavit, ut metueretur, & hoc ipſo maturaretur Beatificatio; nè cultioris etiam populi devotio, ſuâ ſponte in publicos plenè erumperet ipſius honores, minimè cenſurarum memor. Protinus de tumulo B. REGIS illud, quod de Chriſti monumento, dici poterat, *Erit ſepulchrum ejus glorioſum*: ubi illud quoque ſingulare; quòd veluti ſepulchrum Domini, alienæ ſubſit poteſtati; & vel eo ipſo major cenſetur ejus gloria, ut Turcarum ipſe Imperator ceu ſupremum ſibi titulum vendicet; quòd *ſit ſepulchri Dominici Cuſtos*, & B. REGIS noſtri tumulus, non in noſtris ſed in alienis, ex ſingulari Numinis diſpoſitione, eſt manibus, at eo ipſo plus habet gloriæ et honoris, quòd tantus populi confluxus, ad illum adeò obſcurum locô & ſolis duntaxat prodigiis illuſtrem tumulum, adſcribi nequeat alicui ſtudio noſtro, ſed curæ tantùm ipſiusmet Numinis, & ſanctimoniæ ipſius B. REGIS. Cui hinc etiam major ſanctitatis gloria: quòd Gallici Præſules, cùm ipſi aliás impenſè ſacros illius honores haberent in cura, nullum è Religione noſtra utpote domeſticum admittere diu voluerint teſtem ejus ſanctimoniæ & prodigiorum, donec etiam ejusmodi teſtes à ſacra Rituum Congregatione eſſent requiſiti. Ita prodigiorum gloria, illum è cineribus vulgaverat, vulgabitq; amplius, quem olim ſuperſtitem ſua ipſius demiſſio ſepeliverat. Ita pro illa humanæ laudis fugâ glorioſâ undique confluentis populi coronatur frequentiâ. Ita eum, pro illis, in patria etiam urbe ſpectante etiam Clariſimâ ſtirpe ſuâ, propter morbidos & mendicos deportatis publice ſtramineis manipulis, adorant etiamnum, hôc quoque loci ut retuleram Jagellonici

Proceſſus Beatifi: ſuper Mirac:

Iſa: 11

B. REGIS tumulus, extra ſepulchrum ſuæ Soc: in aliena (ſcilic: V: Cleri ſæcularis) ſacra æde ſitus.

lonici Manipuli, ac cunctorum ferè summorum etiam siderum Corona; ut meritò sibi id Josephi possit attribuere: *Vidi Manipulos vestros adorare Manipulum meum; vidi Solem Lunam, & Stellas Undecim adorare me.* Hìc cum Celsissimo suo Capite, Capite simul planè Coronæ Lechicæ, Tricoronatum Sanctum Capitolium, aut sanctarum Coronarum Jnfularumq; Seminarium, & in Crucis formam composita non uni Coronæ paria, Regia sceptra, adsunt pronissima B. REGIS nostri Inaugurationi; ut ad illam, tot sua decora, tot coronas submittant. Hìc de Cælo Seraphico, (quod merito cum omnibus suis ac Regiis decoribus, sanctis æquè ac prudentibus comparatur Virginibus, *simile est Regnum Cælorum Virginibus,*) Prædicatoria Divi Dominici stella tanquam *lingva cæli* prorsus ceu illos Coronatos sapientes Matt 2. ad ipsius adoratione deducit. *Stella antecedebat eos.* Quæ dum suspiciunt, seu eruditissimi ac sancti vel consecrati Deo Coronati, seu ornatissimæ suis titulis Dignitates, seu universi demum, quos singularis pietas aut in Coronam Auditoris inclyti isthuc accersivit; aut ad præcipuum Beati decus cultumqué accendit; (quibus ego ipso duntaxat silentio debita benevolentiæ studia refundo. Divus REGIS supernas rependet gratias:) *Videntes stellam dixerunt ad invicem hoc signum Magni REGIS est, eamus & offeramus ei munera*: intuendo summi Pontificis simulque Dominici stellam ajunt invicem: Istud est signum Magni Neo-BEATI REGIS; sub quo ille ad sanctorum Coronam est inauguratus: *Videntes stellam dixerunt ad invicem, hoc signum Magni REGIS est.* Personante itaque triumphali salve, sua decora & coronas, unàq; cum profundo cultu demissa adsternunt vota; attollunt voces ab Andrea sanctiori Crucigero; quo nullus seu propior Petro; seu ad latus IESU, ac in Apostolico Divorum ordine prior; qui, discipulus Joannis quondam, germanum suum Petrum ad Christum adduxerat; modò JOANNEM meum ad Petrum & ad JESUM simul deducit, non sinè multiplici etiam hìc coronâ; nam ad triplex veluti Triregium, Hungaricum scilicet, Haliciense, & summum Virgineum diadema B. Salomeæ: appellant tota cordis contentione Apostolorum Principes Petrum & Paulum hujus ædis Tutelares, utpote illos, penes quos *potestas clavium*; ut velut olim ad cælestem gloriam, ita hic quoque ad triumphalem ipsius ingressum portas suas patefaciant, Beatum hospitem suo excepturi sanctuario. *Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales & introibit Rex Gloriæ.* Pandit suam quoque ultra hosce cardines Apostolicos, quasi isti non sufficerent capiendo tanto hospiti; qui tot summos in se comprehendit; pandit Portam

Primus solennis ad Divorum aras ingressus B. REGIS in tēplum Cracov: SS. Petri & Pauli, ex æde Virginū Deo sacrarū à B. Salomea fundatarum sub Regu: S. Francisci, sub titulo S. Andreæ, solennia sub hunc totum actum peragente Celsissimo Principe Episcopo Crac: speciatim assistente Jllmô Capitulo, Concionante ibidem in æde S. Andreæ Ecclesiasta Sacri Prædicatorū Ordinis

Offici: Div. festo SS. triū Regum, seu Epiph.

Joan 1.

tam

tam Gentilitiam, in singularem, ipsius plausum, non tantùm aliis inclytis splendoribus, verùm & sanctis suis ignibus in honorem ipsius accensis clarissima hæc Coronæ nostræ Metropolis, Coronæ Lechicæ imò Coronarum, & Coronatorum planè conditoriū cultui Virginis Immaculatissimæ singulariùs cum B. REGIS deditissima prout aliorum plurium decorum ita virtutum ac pietatis Congregatio, seu aggregatum. Quare gloriari potes coram Numine Inclyta Metropolis, quod hodiè *Civitas Magni REGIS* evaseris; quo scilicet nomine ipsa sancta Urbs ornatur *sonans visionem pacis.* Profectò Te in manibus suis portabit Divus REGIS, pro Tuis hisce pietatis officiis; ut sacra pagina videtur polliceri: *Dabo civitatem istam in manu REGIS.* Faxint superi; ut portæ quoque Tuæ, quæ B. REGIS hodie excipiunt; sint *portæ æternales*, ad ingressum *REGIS gloriæ*, ut perquàm faustè ac gloriosè perennent. *Videntes Stellam dixerunt ad invicem; hoc signum Magni REGIS est; eamus & offeramus ei. Attollite portas Principes vestras & elevamini portæ æternales & introibit Rex gloriæ.* Ita A. D. Neo-Beatus hospes Divus JOANNES FRANCISCUS REGIS, complures in se eosque summos comprehendens, redimitur illâ *immarcescibili gloriæ coronâ*; de qua ibi Pontificum Beatissimus in suo Brevi meminit, ut retuli & ita quidem illâ in sacra Petri æde hìc redimitur, prout idem ipse Divus Petrus olim edocuit, etiam BEATUM REGIS, ceu plures alloquendo; *Cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Percipit immarcescibilem gloriæ coronam & in Romano olim & hìc modò in Vaticano nostro, in præsentia Principis sanè Pastorum, prorsus Vaticanô digni: quare etiam ipsi Principi Pastorum sit immarcescibilis gloriæ corona. Jamque ubi principes, quinimò Regias istius augustæ ædis portas, B. REGIS subiit; inscribere illis cum Vate licet: *Ianua nunc REGIS*: felices portæ iam abhinc ad B. quoque REGIS hìc patebitis; deducetis ad illum supplices miseros; qui isthic in sua ara inter Divos Cælites, ad solatia afflictorum, ad opem miseroum, ad vota omniū, præsto erit *janua nunc REGIS.* Itaque quisquis hæc suspicis; ad multiplices adeò portas, in istam Domum Dei, simulque Regiam, quia regali munificentia & magnificentia excitatam, contende ad laudes B. REGIS persolvendas: *Qui vides gradere in terram Iuda (id est in terram laudationis) quia sanctificatio Regis est, & Domus Regni est.* Processus utique ad Beatificationem B. REGIS est simul ac dicitur processus ad Canonizationem: *Sanctificatio Regis est.* Deducunt vos A. L. ad exhibendos B. REGIS honores (ut singulos speciatim prætercam) non tantùm Diecæses universæ Vienensis, Narbonensis, Aniciènsis, Valentina,

ventina, & vaſtiſſimi integrarum quinque Provinciarum Helviorum ſcilicet Velaunorum, Vivarienſium Delphinatium, Valentinorum montes ſacrâ eius operâ conſecrati non ſolùm totum Galliarum Regnum, poſt adeò longos Proceſſûs triumphalem jam agendo Proceſſionem, ac in ipſo Proceſſu adducendo plurimos Antiſtites, & Prælatos, plurimos Principes alioſve dignitatibus varijs conſpicuos, plurimas urbes, populos, ac ipſum quoque Sereniſſimum quondam ac ſemper invictiſſimum Monarcham ſuum LUDOVICUM XIV. in omnibus Regiis actionibus *antonomaſticè Magnum*, cum Florentiſſimis ſimul ejus Regni Provinciis & univerſa Religione noſtra, ad quorum omnium enixas preces hæc ſancta B. REGIS Inauguratio, optatum tenet exitum: verùm etiam deducunt vos ex diſſitiſſimis quoque Regionibus, ac ex orbe novo, illi; qui opem illius implorando, innumeras experiuntur gratias, ut eas ſatis complendioſè comprehenderit ille; qui expertus protulit, *idem ſibi eſſe orare quidpiam B. REGIS, quod & protinùs exorare quidquid in votis habuiſſet*: qui vel ipſâ Beati tumuli rudi alioqui glebâ ceu medico utuntur pulvere. Hinc inſignis illius loci Medicus dum ſuis præſcriptis pertinaciores reſiſterent febres; ſolitus fuerat ægros ad tumulum B. REGIS aliquot leucis diſſitum remittere: ut illorum nonnulli, quandoque morbidos ad ſepulchrum mittere conſverunt, quibus veluti datum eſſet jus, vitæ & necis. Sed ille Dominus Medicus feliciter omnino ad ſacrum B. REGIS tumulum ægros remitere ſolitus, etiamque teſtis fuerat, quòd rarò id medicamenti genus fefellerit. Nonnulli vix in limitibus illius paræciæ, in qua ſacræ ejus ſervantur exuviæ, conſtitiſſent, è veſtigio, miraculoſo duntaxat terræ illius attactu perſanati: acſi univerſa terræ illius vicinia, Beato ipſius monumento dedicata foret, ut terra ſancta dici mereatur, veluti & terra illa labore ac ſepulchrô Chriſti conſecrata; pretioſique locò pignoris in totum uſque Regnum nec non alias quoque Regiones, ac in ipſum adeo novum orbem devehatur. B. REGIS ſanè & redivivus in cineribus monumenti ſui, unàque à mortiferis langvoribus vivificans, Phænix. Illud planè tibi Magne hodierne Taumaturge, quod vates Phænici, cogor occinere: *Quo ſolvimur omnes, hoc tibi ſuppeditat vires, præbetur origo per cinerem*: ipſeque toto ſubacto orbe integer ac incoruptus inter fata ſabæam pænè ſpiras fragrantiam, *ſoluſque ſuperſtes edomita tellure manes*. Quare nihil demiror: quòd univerſa fidelium pietas vel ipſos Tuis veſtigiis dicatos tramites ingenti colat religione; *Regis iter fragrantis adorant*. Quod aurei oris Joannes de SS. Apoſtolis, id ego de uno meo B. JOANNE ſed uno pro plurimis Apoſtolo, perhibere

Cla. id.

Idem de Phæn.

Idem ibidem.

S. Chrisost: de laud: Apostol: hibere possum, *Ubique omnibus beneficia conferre non cessant, pulverem immortalem in sepulchris reliquerunt:* Itéque quod Gregorius

Orat: de S. Theodoro. Nissenus, *Pro munere pulvis accipitur, & tanquam res magni pretii terra thesauro reponitur.* Ita convolabat illuc ad sanctum tumulum, convolatur hucusque, totum Galliarum Regnum, prædicando tot sanitates, aliasque gratias à suo B. REGIS profusas, vel

2 Reg: 22 (ut verbis Davidicis loquar) *Magnificans salutes Regis sui.* Verùm ipsa etiam Roma ac supremum Imperium, Thaumaturgos tumuli ipsius experitur cineres ut exhibent Historiæ: experitur jam in parte, vota sua deferens etiam Regnum nostrum; & magnificat collatas cælitus nonnullis à B. REGIS sanitates in prima ipsius Inauguratione ad Beatam Cælitum Coronam. Adeo ad primam etiam illius Inaugurationem adest multiplex ac Summorum Corona. At super tot coronas, quæ caput B. REGIS nectunt, illud adjicere licet, quod olim Valesius, noster primùm Poloniarum demum Galliarum Rex, duobus utrisque huius Regni depictis diadematibus inscripserat, *Manet ultima cælo*, aut nonnihil immutato temmate, *prima manet cælo*, cælestis quippè corona, non ultima sed prima sit, necesse est, in respectu; prima erat apud B. REGIS; *prima manet cælo.* Præ aliis hucusque recensitis, manet adhuc prima summa insignissima: B. REGIS Cona, Corona gloriæ immortalis, soli cælo cognita, *prima manet cælo*: hancq; ipsam, ô quàm ibi reportat multiplicem conspicuam! magnus iste Apostolus simul, & planè Martyr, fermè Angelus humanam indutus carnem; simul planè sanctus & magnus Doctor, qui supra modum rude vulgus admirandis orationibus imbuerat, quas non minùs faciliter, quàm feliciter isto percipiebant Doctore universi, illi etiam, qui aliis instituentibus, ne quidem orationem Dominicam ediscere valuissent. Cùm adhuc annis florentibus Magistrum agit, non tantùm suæ juventuti studiosæ Apostolum sese exhibet, verùm etiam zelus & Magisterium ejus, ultra lycæi provehitur limina, ad usque plebem villicam, ubi demum ita dogmata illius ac consilia pensantur, tantique fiunt ab omnibus, acsi eorum Magistrum Novitiorum ageret, ut refert

Bonnet pag: 27. Processus pa: 751 Historicus: post ejusque sententiam, ad aliud appellare forum nefas cuivis videbatur. Memoratur Angelicus Doctor sub primam infantiam schedam cum salutatione Angelica insolito prorsus pietatis gustu glutijsse; at illud, meo quidem sensu, etiam doctam adeò infantiam, longè videtur excessisse, omni celebrandum elo-

Bonnet pa: 20 quio; quòd B. REGIS hodiernus, Magistrum adhuc admodum juvenem inter discipulos agens, primus induxerit, hunc sanctum & laudatissimum, etiam nunc servatum morem, ut auditô horologij sonô

sonô salutatio Angelica recitaretur. Ita si olim Servator dixerat, *nondum venit hora mea*, jam ad B. JOANNEM meum, ceu ad carius horarium in pectore reumbens, Joannem videlicet Apostolum, (*Recubuit super pectus JESU: sciens JESUS quia venit hora ejus*,) quævis jam hora Christi, quævis Mariæ. Apostolos Dominus universos horis comparat, dicens *Nonne duodecim sunt horæ diei?* quibus 13. accessit Paulus B. REGIS tribus supra decem summi inter montana Gallica Apostolatûs sui annis, quavis simul horâ excitans universos edocensque, singularem Divinæ Parentis cultum, an non complexus cunctos in se Apostolos, Magistros orbis? Nihilominus à tam caro etiam inter vilem plebeculam, Apostulatu suo, toties nutu sancti imperii planè avulsus, cujus aliàs zelo totus etiam orbis vel ipso historico teste exiguus fuerat; avulsus inquam ad erudiendam minimam postremamque scholam, toto se conatu suo eidem scholæ impendit; minimè nescius, hanc etiam, (si debitâ attentione non careat) eminentis locò Apostolatûs, esse posse. Profectò vel hoc ipso Magnus Eximius Doctor, B. FRANCISCUS REGIS, observans adeò minimi etiam de minimo erudiendo lycæo mandati; *qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in Regno cælorum; qui autem fecerit & docuerit, hic Magnus vacabitur.* Ingens simul Patriarcha; qui tot sanctos instituit Cætus; quales sunt *Matronæ Misericordiæ*, *Religiosæ Domus refugii*, totque adeo sanctæ sodalitates Sanctissimi Sacramenti, hactenus in Galliarum Regno florentes: quinimò profanæ ædes, carceres etiam ipsi, templorũ aut claustrorũ speciẽ præferebant, ipsius institutione, ac ferme fundatione quippe illis ostiatim necessaria corrogabat, duplici nomine Fundator; qui scilicet æterna ac temporalia provideret. Explorare licet hæc universa in sancta ipsius vita; quæ ne quidem legi potest sinè quodam eoque multiplici pietatis sensu: quisquis fidem non adhibes, rursus demumque moneo; evolve sanctam ipsius vitam; & facilè deprehendes omnium ferè sanctas Divorum vitas in uno B. REGIS velut in compendio comprehendi, illudq; ex æquo non sinè admiratione isti Beato attribues; quod Stiliconi tribuit vatis assentatio: *Quantæ pensabunt facta coronæ!* cogeris fateri; qòd hic quoque *In capite diademata multa*; in uno vertice, ad primam etiam Inaugurationem, in ejus auspiciis, *in capite*, plures Beatæ effulgeant Coronæ; ad prima B. REGIS exordia eniteat plurium simul, ac summorum Corona; plurimum simul etiam summorum conclusio: *Prima manet cœlo: Quantæ pensabunt facta coronæ!* Magnus meus B. REGIS, an non genuinus *Abraham*, Patriarcha ingens? *Pater excelsus, Pater multitudinis:*

Joan: 2
Joan: 21 & 31.
Joan: 11
Matt: 5
Claud.
Apo. 11

 qui

qui utique Pater plebis ac pauperum vulgò dicebatur; ut ſuperiùs retuleram; univerſam in illis ſuam & laboris Apoſtolici potiſſimùm reponebat dignitatem; ut de eo illud accomodè occurrat; quod ſapienter Divinior Politicus notaverat: *In multitudine populi, dignitas REGIS.* Educit Deus B. REGIS ex Religioſa Domo in regiones alienas, ad ſubeundos labores Apoſtolicos ac mortem ipſam velut Abrahamum, monendo; *Egredere de domo tua & veni in terram quam monſtravero Tibi*: ſpondet ipſi eum Benedictum effectum iri, *Benedicam te, erisque Benedictus*; perſpexit utique B. REGIS futuram ſuam gloriam, illamque ad ſuos cineres celebrem frequentiam, ut teſtatur hiſtoricus: cùm ecce ibi ſeſe, in populorum opem, laboresq; Apoſtolicos multiplicans, licèt ipſe eo uſque integer & incorruptus, adeoque ut vitam agendo pervigil hic ſalutis humanæ Cuſtos, ſolitus decumbere nullis factis exuviis, ut eò expeditior ad animarum foret obſequia, continuus illius Dominici mandati obſervator, *ſint lumbi veſtri præcincti*, non aliter, etiam poſtquam occubuit, indiviſus omninò in ſacras exuvias, in ſanctas integerrimi corporis ſui Reliquias, ipſo thaumaturgo tumuli ſui pulvere in adeò multos ſeſe dividit, in adeò multiplicia prodigia & beneficia populorum, ut jam arenas, jam ſtellas totius propè cœli exæquet: *Multiplicabo ſemen tuũ ſicut ſtellas & velut arenã.* Tamque multi hoc prodigioſo tumuli ipſius pulvere perſanati, ut eos adeo non facilè numeres, ſicut in terra vel ipſius tumulo atomos ſeu in cælo aſtra: *Numera ſtellas ſi potes.* Mellifluus verò Doctor planè ac ſi de ipſo loqueretur cauſam ſubjicit: *Nec mirum ſi mira eſt operatus mirabilis ipſe. Primum videlicet maximumq; miraculum quod exhibuit, ipſe fuit.* In eodem Galliarum Regno recentior Philoſophia, majori ſubtilitate quàm fundamento, exorſa componere univerſa corpora ex ipſis duntaxat atomis; veriùs ex prodigioſis Beati tumuli pulveribus, univerſa ſalus, cuncta beneficia populo, in eis montibus in quibus exſtat præſtita, ac ipſi pænè cœli cõponuntur, adeo ut idem colles, illi veluti: *Montes pietatis*, ex iſtis conflati atomis, pretioſiores montibus aureis, intumeſcant quodammodo Beatis pulveribus; ac ipſum prope Olympum æquent: *Ex atomis tumuere montes*: *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas, & velut arenam.* Quod olim magnus æque ac pretioſus Orator ſupra mortales Alexandri Magni cineres exclamavit; *Miraculum! tam parvus pulvis orbem totum evertit!* id ex adverſo pluries de hiſce Beatis ingeminandum cineribus; *Miraculum! Miraculum! tam parvus orbem totum erigit*; ſi tamen parvus cenſeri mereatur; qui non toti duntaxat tantoq; regno, ſed integro etiam cœlo æquari poteſt; *velut arenam ſicut ſtellas.* ſimile

Prov: 4 · *Gen. 12* · *Gen: 22* · *Gen: 15* · *D: Bern: de S. Malachia* · *G. fridus Abbas de S. Bern:* · *Carthesiani atomiſtæ in Galliis.* · *Horatius* · *Emm: Theſaurus in idea argutæ dictionis.*

mile quid de illo, quanquam longè majus, proferre licet; quod de sepulchrali cinere post Magnum illum superstite idem Oratorum Thesaurus protulit: *parva hæc urna Alexandria est, unico cive plena.* Magnus B. REGIS, non solùm nomine verùm etiam reipsa ad illos sanctos quatuor Principes referendus; quos in octava Omniũ Sanctorũ luce seu in ipsa eorundẽ conclusione, Ecclesia Romana recolit; ubi sub titulo *quatuor* duntaxat *Coronatorum*, multò plures tacito comprehenduntur nomine, ac sub uno Coronato Regio nomine generalis, multorum simul eminentium Cælitum Corona, quinimò cunctorum continetur, atq; concluditur. Ad hunc planè modum, etiam ad primam unius B. REGIS mei, Generalis planè Beati, singularis simul inter Beatos REGIS Inaugurationem, plurium simul ac summorum quinimo omnium Electorum Dei, effulget Corona, sive conclusio, ut meritò, in primo ipsius ad Coronam Cælitum ingressu, tot portæ eæque principes pandantur atque erigantur; *Attollite portas Principes vestras & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Martyr: Rom:

Verùm paulò fixiùs, utpote Magnum Magni Hospitis B. REGIS ingressum unàque ipsum Divum intuiti, adhuc vel in ipso ejus nomine præfixum spectemus propositum: ego illud uno prope verbo, uno nomine commonstro, deducendo quòd meus B. JOANNES REGIS, planè *Ioannes in vinculis.* Precor verò ne tantisper tædium vos incessat Auditores inclyti: etsi paulò longius extraordinariè disseruero, utpote super festo & sancto extraordinario: qui plures in se ac summos complexus. Mitto sanctos B. JOANNIS FRANCISCI REGIS actus, quibus plures ac supremos Cælites in se ipso ac suo nomine comprehendit: Istud mihi ipsum super omnia suffecerit: quòd in universa vita sua Magnum Joannem sit complexus; ut de eo illud, quod de alio Luc. 3. perhibetur, dici queat, *Adjecit & hoc super omnia inclusit Ioannem:* atque hoc ipso plures & summos, velut in corona aut sanctiori vinculo, planè alter *Joannes in vinculis*, in se conclusit, cùm eum conclusit, quô nemo major. Ita ille apprime Tutelarem suum exprimebat imitator, ut cum eò plures in se & summos sui præsertim nominis Divos comprehenderit ac concluserit, planè *vir sui nominis*: adeò ut tanquam non unus foret JOANNES FRANCISCUS REGIS: sæpius ac diutius, pluribus locis, in diversis Historicis, nunc Joannes duntaxat, nunc Franciscus tantùm, nuncupetur. Si taciturnitatem ejus revocem? quâ in admirationem ipsos etiam Præsides rapiebat, sanè Joannem silentiarium æstimavero, hic quoque genuinum Christi imitatorem: *JESUS autem tacebat, ita ut miraretur Præses vehementer*: ob curam pauperum ac mi- Matt. 26 & 27.

Matt: 11

 seriæ

feriæ humanæ planè Joannes Eleemosynarius, ob zelum Concionatorium, Joannes Chrisostomus; ob candorem suum, Joannes Cantius: ob amorem Crucis, Joannes à Cruce; in fulminandis criminibus Joannes Apostolus *filius tonitrui*, simulque Prædicator & Doctor Charitatis cum Joanne Apostolo ac dilectus simul Christi discipulus, qui utique Christũ, ad usque obitum, Magistrum suum nuncupabat. Joan. 21. percontatur Christus Dominus ex Petro, fasces illi Ecclesiæ supremos traditurus, num sese diligat? nec aliter eum, nisi Simonem Joannis terna compellatione nominat, & veluti amorem Ioannis ab eo exigens ait, *Simon Joannis diligis me plus his?* acsi palàm edocere voluisset, quod Ioannes, & Ioannis erga Deum amor, multos in se & magnos Apostolos incluserit, quinimo *plus his*; *Simon Joannis diligis me plus his*. Profectò hìc Petre Divinissime, meritò jam dici potes, *Simon Joannis diligens plus his*; cùm tuos subit penates, B. JOANNES hodiernus planè Ioannes Apostolus, qui plures in se, eosque summos comprehendit. Si namque missiones ejus Apostolicas revoco? hic ille utique ceu Apostolus ab omnibus habebatur, Historici testimonio: Si profligatorum conversiones memoro! genuinum planè observo Apostolum. At quorsum contendo pluribus? in omni planè progressu suo, fermè Ioannes Præcusor, in quo ipso plurimos etiam summos suspicio utpote in eo, *quo non surrexit major*; nisi quod Magnus Ioannes, Præcursor Dei fuerit; at, B. meus JOANNES REGIS, ipsum Deum habet Præcursorem; dum magnis difficultatibus Apostolicis, fatigatum itineris comitem, his stimulat ad majores; *Præibit Angelus Custos & DEUS ipse, cujus causa agitur*. Sanè id B. JOANNI hodierno, seu ærumnis, seu laboribus animarum gratiâ susceptis infractissimo, totâ ferè vitâ non Titulari Missionario, attribuere cogor; quod de Joanne Præcursore perhibetur. *Fuit homo missus à Deo*. Tanquã alter Joannes vinum sibi omni-
Joan 1. nò interdicit, *Vinum & siceram non bibet*: imò verò, ejusdem exemplo planè *Joannes neque bibens neque manducans*. Cùm adhuc prætextam gereret, omnis ætatis virtutem efformabat; ut de eo illud, quod de S. Malachia testatum Bernardus reliquit, dici debeat; *agebat senem moribus, annis puer*. Matura ipsius virtus, jam tunc omnium admirationem movebat; ut velut de Præcursore præsagirent: *Quis putas puer iste erit? etenim manus Domini erat*
Prov 21 *cum illo*. Et de illo dici poterat: *Cor REGIS in manu Domini*. Ita videlicet manus Domini, quæ cum B. REGIS & in illo fuerat; semper cor ejus totâ Divinâ manu dignum, ad quidquid libuisset eximium, flectebat. Quid putatis A. L. quantus jam etiam tum coram Deo fuerit B. REGIS? *quis putas puer iste erat!* dum

tota

tota jam tum ferè cum illo manus Domini fuerat eundem complectens, cui manui suffecerat quondam tribus digitis integrā molem terræ sustinere: *appendit tribus digitis molem terræ*. Quinquennis adhuc, jam maturus virtute, prout & Magnus Thomas Angelicus in totidem annis consveverat, ultrò de Deo deq; rebus Divinis diligenti sciscitatur studio. Hìc quoque de illo ipso sciscitari lubet; *quis putas puer iste erit?* Nonnulli victitare locustâ, cameli corium induere cum Ioanne, quàm in deserto prædicare eligerent, fungebatur isto prædicandi munere, tantò lubentiùs, quantò sæpius, cum Ioanne Præcursore, IOANNES meus, ab ineunte ætate ingenioso zelo assvetissimus; cujus occasioni studiosè semper imminebat. Hinc, dum adhuc rudioribus literis daret operam eò impulit contubernales suos, ut singuli alternis vicibus pium aliquid mensæ prælegerent; precationes varias simul recitarent; sacram Synaxim frequentiùs accederent; ut illa Beati ædes, Religiosæ quàm profanæ Domui videretur similior. Alii quoque studiosæ ætati, cùm eum hospitalitatis causâ convenit, librum aliquem pium porrigit ingeniosus hic sanctarum artium Inventor; ut inde quodpiam salutare dogma decerpant; quidquid fortuita lectio obtulerit. Ita quoque sibi afflictam levat valetudinem: dum invisentes sese hospites ad similem prælectionem invitat. Nimirum cùm adhuc secularem ageret; jam se Apostolum suis æqualibus exhibebat. Et licèt in Religione demum, sit planè *vox clamantis in deserto*; licèt per solitudines ac deserta ut plurimùm, re ipsa nimirum Ioannes verba faciat; per invios abruptosque montes, inter ferocem populum ac ab omnibus planè derelictum Apostolica obeat munia; tamen ad eum, ubicunque compareat, tanquam ad Ioannem magnum, tota undeqvaq; plaga concursat, ut profesta dies à solenni nullo separari discrimine videatur. Suscipitur longum iter (quod plus quàm dena quandoque extendebat milliaria) ut ab eo conscientiæ noxis solvantur; *Egrediebatur ad eum omnis regio, confitentes peccata sua*. Vix tantùm quispiam Zacharias nomen Ioannis evulgat in montosâ illa solitudine; ubi Apostolicam collocat operam: *Joannes est nomen ejus*: cùm ecce continuò *super omnia montana divulgabantur verba hæc*. Licèt verò in aviis nemoribus, horidisque locis, inter barbaram prorsus plebem versaretur; verumtamen ibi quoque facundæ dulcedinis gratiam, an innatæ suo nomini gratiæ dulcedinem effundebat, pænè *mel sylvestre edebat*, quamobrem *omne tulit punctum qui miscuit utile dulci*: solebatque ex sublimi scientia sanctorum familiariores suos monere: quod plures muscas modicum mellis, quàm fellis plurimum capiat. In capiendis Deo anima-

Is: 40. *Marc: 1* *Luc: 1.* *Marc: 1*

bus artium erat peritissimus; ut cum Paulo illud usurpare posset; 2 ad Cor. C. 12 *dolo vos cepi*: Poterat gloriari in hac captura etiam cum summo hominum Piscatore Petro. Ita ille videlicet etiam Principes Apostolos in se concludebat, eorum hic hodiè conclusus æde: ut Psal. 2. dici queat: *Principes convenerunt in Unum.* Quid plura? Magnus Ioannes Præcursor Domini in missione sua tanquam Angelus: *Ecce ego mitto Angelum meum*: B. quoque IOANNES hodiernus non secus ac Angelus in Missionibus colitur. Matt. 11. ipse Christus attollendo encomiis Ioannem ait: *Quid existis in desertum videre?* quid spectatum prodiistis? quid? pluries repetendo, instat, quasi hoc ipso docere voluisset: quod in uno magno Ioanne, non unus insignis cospiciendus occurreret. Plurimos ille ac summos in se ipso complexus, simul Angelus, simul Princeps, Ecclesiastes Domini ac Propheta, quinimo *plus quam Propheta*: alter Elias, cæterosque complexus titulos: quibus ulterius Ioannem Servator ipse exornat. B. meus IOANNES REGIS, an non alter Ioannes Præcursor, an non alter cum Præcursore Elias? de quo Christus profatus: *Elias restituet omnia; tunc cognoverunt discipuli, quod de* Matt. 17 *Joanne dixisset eis*: aut quod tanquam de hodierno B. REGIS olim prædictum: *Ad restauranda opera sanctuarii sumptus dabuntur* Machabæ. 10 *de ratione REGIS.* Quocunque iter verterit B. IOANNES REGIS: omnia pia opera sanctis suis instaurat industriis, religiosos etiam diversorum mores, lapsos erigit, acsi plures in se quinimo omnes circumferret: *Elias restituet omnia, tunc cognoverunt discipuli quòd de Joanne dixisset eis.* De illo quoque dici poterat: *A diebus Joannis Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Ubi expendo: quòd ab uno Ioanne magno, vim patiatur cælum: & tandem subijcitur quòd multi istud regnum violentè capessant: *Violenti rapiunt illud.* Ergone unus Ioannes pro multis? ita sanè. Beatus meus IOANNES insignis naturæ triumphator, qui propè nihil noverat, quidquid sensus deliniret, mulceret carnem; prout Process. Beatif. Pa. 76 testatur Processus; plures etiam ac summos in se complexus: qui cælo; per vim prope, Apostolicâ circumfusi multitudine, numeroso stipati comitatu, potiuntur: *A diebus Ioannis Regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* Spondet Herodes filiæ Herodiadis: quidquid pro flagitio flagitandum animo conciperet, etiamsi dimidium Regni postularet: cùm ecce tibi Ioannis Magni Præcursoris caput, ipsi adeo præhabetur Regno, illud potiùs quàm Regni dimidium præoptatur: at toti etiam, nec Herodiano duntaxat, verùm cælesti Regno B. meum IOANNEM REGIS, hodiernum Dominicæ Evangelium videtur conferre dicendo: *simile est regnum Cœlorum homini Regi*: an Beato REGIS;

qui

qui Regio more *in plurali* unus instar multorum est, multos in se & summos comprehendit ac includit: prorsus ut magnus rursum Joannes Præcursor; ad quem Matt: 3. Dominus ait: *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam,* acsi diceret; alios minùs dedecet, at mihi & tibi omninò consonat, omnē scilicet non unam implere justitiam, universam complecti sanctimoniam; *Decet nos omnem implere justitiam.* Ac demum illis verbis *sine modo,* subjungit continuò: *sic decet*; quasi demonstraturus, quo qualique modo aut mensurâ illum deceat implere debitam perfectionem: quod scilicet *sine modo,* sine omni mensura ac numero deceat illum implere ac complecti omnigenam sanctitatem: *sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Satis proinde superque suffecerit proposito meo comprobando: quod B. IOANNES REGIS, in conspicuis suis operibus, Magnum Joannem Præcursorem in se cōprehenderit, quo ipso plures & summos complexus inclusit: *Adjecit & hoc super omnia, inclusit Joannem.* Quod si cuipiam ad hujus propositæ de B. IOANNE meo veritatis sonum, ingravescant aures: inclamo eundem verbis ipsius Domini: quæ in simili materia, inter Joannis elogia Matt. 11. protulerat: *qui habet aures audiendi, audiat,* ne auditu, si non ipsis privetur auribus. Accommoda hìc illa auris; de qua certa refert fama; quod hoc ipso anno post Beatificationem B. IOANNIS hodierni, Romæ celebratam, dum circa generalem sacram Synaxim juxta ejus loci morem distribuerentur pia numismata; cuipiam personæ prorsus auribus captæ, fortè datum numisma, effigiem referens Neo-Beati hodierni IOANNIS: ergò magna pietate & fiduciâ, applicat hanc sacram iconem suæ infelici auri, imò felici prorsus; nam extemplo prodigiosè auditum recuperat. Audi proinde, quisquis nondum auditu cares; *qui habet aures audiendi, audiat*: an non eô prodigiô ad ipsius Urbis Orbisque simul oculos, sub generalem Cōmunionem sacram, proximè à Beatificatione hodierni REGIS, post dicussos tantâ diligentiâ heroicos ejus virtutum actus, post innumera alia miracula exhibita, annon demonstratum voluit Servator quòd B. IOANNES REGIS hodiernus sit Generalis sanctus, planè in illius miraculis sacris & virtutibus, *Communio Sacra Cōmunio Sanctorū* sese prodit: adeo multorum ex illis, quinimò universorum habet cōmunionem, complectitur in se eosdem & concludit ceu in corona Magnum Præcursorem Joannem in se includendo: *adjecit & hoc super omnia, inclusit Joannem.* Sufficeret mihi istud abundè, at non Magno hodierno JOANNI, qui cum ingenti Magni Joannis Nomine, complexus in se, sancto prope nexu, Magnum Maximi ante Deum cujusvis Francisci Nomen ac

ſacras ejus virtutes. Incluſit in ſe magnum Indiarum Apoſtolum Franciscum Xaverium tanto flagrans zelo ſalutis humanæ, jam in laboribus, jam in ærumnis ac ipſis etiam mortibus, *Amplius, Amplius* ex amore erga Deum cupidiſſimus: ut meritò inſtar Xaverii à pleriſque pictoribus patente proponatur pectore, quod in mille etiam mortes apertum, non rarò in cauſa Numinis offerebat. At ipſe quoque Summus Pontifex in Beatificationis ejus Brevi atteſtatur: quòd cor ipſius aſſiduò Spiritus Sanctus dilataverit ac extenderit. Ad ſtupendum ipſius zelum Apoſtolicum, non labores ulli, non ærumnæ, non eventus inopinati remorari, ut & Xaverium poſſunt. Properans aliquando ſanctarum ſuarum Miſſionum cauſâ, per abrupta montium juga vix pervia, fallente gradu lapſus, imò caſu Summus hic Apoſtolus meus pedem confringit. Quod fortè illi accidiſſe debuerat: qui tam ſanctum in Montanis laborem Apoſtolicum rudiumque ſalutem auſus eſſet præpedire. Quid ad hæc vir Apoſtolicus? ecce obvoluto duntaxat veſtigiô, acſi omnino validiſſimus, ſolo baculo pedis locò aut potiùs gratiâ Divinâ fretus, in ſuo Apoſtolico munere pedes & feſtinus, ut ſolebat, aduſque ſtuporem maximum comitantis ſocii, cæptum proſequitur iter: atque ubi deſtinatum attingit terminum; è veſtigio, pes antè fractus, ipſo veluti labore Apoſtolico perſanatus comparet. Novi equidem quod Divus Dionyſius, primus Tutelaris & Apoſtolus Galliarum, ſuum caput decollatum duobus omninò milliaribus miraculosè portaverit; utroque tamen valebat pede: B. REGIS ipſum etiam pedem confractum, duobus pariter milliaribus prodigiosè defert; *Joannes in vinculis.* Continet ſimul in ſe Magnum Præſulem Franciſcum Saleſium, poſt lucem huic Divo nunc ſacram proximè natus; cumque hic Sanctus mortalem clauderet vitam, tunc ferè ſingulariter Apoſtolicos labores exorſus; tanquam ſancto ſufficeretur zelo Saleſii; qui juxta Eccleſiam *omnibus omnia factus* cum Apoſtolo Gentiū: quod ipſum etiam de B. REGIS, ipſamet atteſtatur Hiſtoria. Ad hæc comprehendit in ſe ſanè Magnū Generalē meum, S. Franciſcum Borgiā hodiernum, (in cujus ſacram lucem incidit feſtivus illius ingreſſus,) Magnus hic hodiernus Beatorum Generalis; *Beati*, omniū eorum virtutes complexus; quos Evangelium feſtæ omnibus ſanctis diei proprium, Beatorum recenſet ac evulgat titulo, planè Beatitudinum Chriſti ac proinde omnium Beatorum Cælitum Thaumaturga Effigies. Complectitur ſimul & hoc ipſo & abyſſali humilitate ſuâ, Magnum Minorum Patriarcham Seraphicum Franciſcum Aſſiſium: cujus Octavam lucem feſtivitate ſua hìc concludit, ſanè *in octavo* id eſt *in ſummo* juxta Philoſophos *gradu*; ac eò ipſo plures & ſummos in ſe continet

ac

ac concludit: dum eum concludit; qui ſecundùm plurium ſenſum, excelſi & ſuperbi Angeli locum occupavit. Poſſet & de B. hodierno FRANCISCO REGIS, idem legi Evangelium; quod Eccleſia de Franciſco legit Seraphico; *Confiteor tibi Pater quia revelaſti*: etſi quot diebus, dum ſacerdotem nanciſci potuit, exemplo Divi Franciſci Xaveri confeſſionem inſtitueret, in eâ tamen revelationes potius quàm peccata, (quæ aberant,) referre neceſſe erat, velut in Chriſti *Confiteor*; *Confiteor tibi Pater quia revelaſti.* Planè ſanctus Confeſſor hodiernus FRANCISCUS: itaque ſanctus non Confeſſarius duntaxat, ſed pænitens etiam, ad hunc veluti modum, quo ſpecialiter ſanctus in Vaticano locus, *Confeſſio S: Petri* nuncupatur: *Confeſſio*, attamen locus duntaxat eſt ipſius Principis ſummæq; ſanctitatis: ut recitamus Sacerdotes in Officio Divino 18 Novemb: Quantæ fuerit innocentiæ REGIS meus, quis ediſſerat, dum etiam in ætate puerili, tantò magis in Religione, ne quidem verbum obſervatur, cujus meritò arguendus foret! nunquam notatus, ut vel minimam etiam Religioſam verbo ſaltèm violaret legem; quinimo, *nihil in eo non ſanctum ſpectabatur*, ut perhibetur in Proceſſu. Hinc ipſi attribuitur ibidem illud Divini Spiritûs elogium, *non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervaret legem excelſi*: nulla denique in eo deprehenſa paſſio, niſi talis alicui videretur, ſola tantùm zelum ſpirans ipſius actio: ubi ſcilicet cauſa Numinis vertebatur, aut offenſam Dei ſentiret, ut eã in veſtigio elideret. Fatis proximus, poſt triduanas collectiones ſuſceptas, quibus ſe ad beatam comparabat mortem, ubi generalem totius vitæ exomologeſim exactâ diligentiâ inſtituit; Confeſſarius ipſius, & quidem prudens admodùm, ſe non modò nullam graviorem noxam, at etiam vix abſolutionis aliquam materiam deprehendiſſe teſtatur demum: *Confiteor tibi Pater quia revelaſti*: Ipſum etiam confeſſionale ſacrum (ùt vocant,) in quo ſcilicet ſolitus fuerat Beatus confeſſiones excipere in Anicienſi urbe, adeò ſacrum ſanctumque cenſetur; ut quod fortaſſe in Eccleſia Dei inauditum antè fuerat judicio etiam hiſtorici, ad ipſum idem Confeſſionale ſacrum, novemdialem piiſſimus populus continuò peragat devotionem: variaſque Divinas gratias & prodigia inibi experitur, inexhauſtum planè in illo vel attacto cæleſtium gratiarum ærarium æſtimando, quinimo pænè etiam eaſdem palpando: quanquam inſuper lectus quoque ſupremò decumbentis B. REGIS Confeſſionale ſimul illi nec minùs prodigioſum cæleſtibus gratiis & prodigium pænè fuerat: *Confiteor tibi Pater quia revelaſti*. An non Seraphicus etiam B. meus FRANCISCUS? qui ſæviente alioqui brumâ acrique hyeme, in precationibus totas quan-

Brunner in faſtis Mariæ:

 doque

doque noctes æstuat. Franciscus Assisius in monte Alverniæ in ignitissimum fermè exarsit Seraphinum, eumque veluti Crucifixum, Crucifixi stigmatibus & ipse insignitus: Divus quoque meus FRANCISCUS similiter *in Alvernis montibus* agit, ut perhibet Historicus eoque loci, (qui antonomasticè *pagus S. Boniti frigidi* appellatur) in acerbo frigore in Diviniores exardescit flammas, noctes ante templi januam in oratione exigens, cum Casimiro, Venceslao alisq; sanctis; exardescit amore sui Crucifixi tanquam Crucifixus Seraphinus; instar Angeli, etiam suas inter Missiones semper Divinam spectat faciem; *Angelus, Missus; Angeli semper vident faciem Patris.* Quinimo prorsus ceu Seraphinus, proximus ad latus Divinum jam in Missionibus, jam in pervigilio frequentissimæ olim sibi Communionis sacræ noctem precando pervigil planè insumens, ad SS: Sacramentum hæret. Emicabant ex ipso illius vultu eadem Seraphica incendia, potissimum dum sacram litaret hostiam; quam ei nulla, gravissima quantumvis negotia, nulla difficultas eripuit. A Primitiali Victimâ, totâ deinceps vitâ, insolito Numinis ornatus beneficio? vehementia erga Deum sentiebat in præcordiis incendia, ac quod majùs longè est easdem sanctiores flammas etiam in audientibus suum sacrum succendebat. Æstuabat eodem amore dum Officium quoq; Divinum persolveret; quod in tot suis laboribus, viarumque incommodis, nonnisi de genibus recitabat. Ex amore Dei, ô quantum amore proximi ardebat! dum aliquando ad disponendum quempiam moriturum adesse illi non licet: protinùs idcirco ardentissima febri ita corripitur; ut eam cæteri etiam advertant; nec somnum capere potest, subjungens: *ut quid vitam traho, cùm proximorum saluti, vitæq; illorum immortali opem ferre non licet.* Cùm audiret quodpiam quod vel decus Divinæ gloriæ concerneret; vel ad injuriam Numinis pertineret, mutabatur continuò, ac succendebatur amore Dei sanctus ejus vultus. Planè Seraphicus, ipseq; Franciscus: qui eo quoq; Divo Assisinati non absimilis; quod parem illi ferè ætatem vixerit; at hoc simillimus: quòd omnes singulari constantiq; studio velut & Divus Assisius ad amorem accenderet, ipse in lacrymas sæpenumero solutus, prout & alii conspicui quoque viri audiendo loquentem tenere lacrymas non valebant. Singulariter ubique edocebat eundem Amorem Dei; huc omnes illius curæ & studia contendebant; etiam dum scholas erudiret, alio prorsus modo; quàm nonnulli Ovidiano duntaxat *de arte amandi*: Ex illo amore Dei frequentiùs dicere solitus, si optio sibi daretur vel rectâ cælos subire vel hìc in terris adhuc degere, ad animarum salutem; mallet cum D: IGNATIO PATRIARCHA suo, hìc interim hærere inter tot labores

Tanner in Soc JESU Apostolorum imitatrice.

Matt: 18

&

& pericula, propria quæ studio conversionis alienæ sociantur. Sit suũ integrum hac in parte judicium cuipiam Theologiæ terrenæ, prout libet; supereminentior nam è tertio usq; cælo desumpta à Paulo ita prorsus censet, ita loquitur, ut hìc B. REGIS; dum ad Romanos loquitur. *Optabam ego ipse anathema esse pro fratribus meis.* Quæ verba D: Pauli idem omnino exoptantis allegantur hic in Processu Beatificationis. Supra quæ aurei oris Doctor *ostendebat* (inquit) *Apostolus quod diligeret Deum magis, quam se ipsum*, rationemque subdit Doctor Angelicus, *quia volebat ad tempus privari fruitione Divina, quod pertinet ad dilectionem sui, ad hoc, quod honor Dei procuraretur in proximis, quod pertinet ad dilectionem Dei.* Illorum verborum (ait idem Chrysostomus) sensus est: *cupio separari à fruitione Christi, ut plures imò omnes eum ament & laudent:* additque inibi: *quia nos longè sumus ab hac dilectione, idcirco intelligere hæc Pauli verba non possumus.* Verùm id ipsum votum sanctæ voluntatis, altissimus est omnino amoris Dei gradus, ut præter cæteros deducit Eminentissimus Laurea in ipso sacro Processu citatus. Uno etiam intuitu, vultu ipso ac modestiâ, prout olim & Franciscus Assisius, universos quocunq; se verteret, ad probitatem & amorem Dei velut concione efficacissima, quinimo magis quàm ullus alius suâ svadâ Ecclesiastes componebat, etiam meus FRANCISCUS: ut quispiam ad meliorẽ frugem rediret, solutioresque componeret mores, suffecerat exempla B. REGIS illumque ipsum aspexisse, ut meritò etiam eò loci dici posset, *componitur orbis Regis ad exemplum.* Licèt ex humilitate profundissimâ, quâ apprimè B. Assisinatem exprimebat, diu secum deliberaret, ipsius exemplo, sacerdotalem dignitatem recusare, at ubi ex adverso demissionem ejus, ineffabilis erga salutem humanam zelus & amoris Divini hominibus inserendi ardor superasset, mirùm quanto fervore sacerdotium exoptaverit, coram familiarioribus eorundem conditionem extollendo: *qui in hoc exilio plus honoris Deo afferre possint, quàm in cœlo Beati spiritus simul omnes æternitate universâ.* Ita de sacerdotiô sentiebat, verùm illo, quale sibi in animo intentione tunc formaverat, post adimpleverat sanctissimè. Dictitabat, *Summum quidpiam in hoc orbe inesse sacerdotio; quòd eo ornati, quot diebus originẽ & fontẽ omnis boni in se circũferant.* Addebat & illud: *quòd nihil majori solatio cœlesti cor suum perfunderet: quàm dum subiret animum mens illa, quod tribus duntaxat illis verbis sacerdotalibus, Ego te absolvo, posset à dæmone illas animas vindicare, quas ipse per summam tyrannidem in arctissimis tenet vinculis:* Ignitus enimverò in meo Francisco Seraphinus: quinimò mille Seraphini in illius corde æstuabant, vitâ ipsius

S. Chrysost. lib. de compunctione.
S. Thomas 2da 2dæ, quæst. 27. art. 8vo ad 1mum

Eminentissimus Laurea disp: de virt. heroicis art. 12 n. 360 & sequentibus.

psius universâ teste. Referunt Annales Ecclesiæ Anni 1530; quòd Rex Ormusi Sive Æthiopiæ, qui ferè accomodâ hodierno B. JOANNI REGIS, compellatione nuncupatur, cognomento videlicet *Presbyter JOANNES*, sive *Pretioso JOANNES*, hic inquam Princeps Regem Lusitaniæ pro corona quingentis supra mille muneratus est Seraphinis, ita ibi certum monetæ genus appellatur. Æquiùs ego existimem, quòd B. JOANNES REGIS millia Seraphinorum, & hoc ipso plurimos summosque sanctos in se ceu in corona comprehenderit. Perhibent Annales seraphici quòd D: Franciscus Assisius, primum nomen Joannis nactus, demum à Parente suo *Francicus* dictus, quod Francicum idioma admodùm promptè didicisset, successu temporis litera *S.* adjecta, quæ etiam Sanctum denotat: & hinc nomen *Franciscus* invaluit, præsago scilicet omine, quòd iste *Francicus*, futurus esset Sanctus, futurus esset quodammodo *S: Francicus*. Sane genuina B. mei JOANNIS FRANCISCI REGIS idea: an non etiam ille, cui quoque primò Joannis nomen erat impositum, generali ac communi titulo dici meretur? S. *Francicus*, plures in se eosque summos generatim comprehendens: cum ipsum adeò Franciscum Assisium, ac cum eo Joannem sancto in se sociavit vinculo: *Joannes in vinculis*. Profectò B. hodiernus JOANNES FRANCISCUS quidni jure optimo dicatur *S. Francicus*, quem universum Franciæ Regnum, beata ipsius Patria, communi vocabulo virorum etiam non communi & vulgari dignitate præditorum, suum Sanctum agnoscit, ac semper coluit etiam superstitem: quocunque cum Apostolico munere iter intendisset, generatim & vulgò sanctum vocando: *S. Francicus*. Quo ipso generali titulo, an non plures eosque Summos, quinimo omnes illius Regni Sanctos in se complexus? sanè complexus, cum illisque simul magnum Seraphicum Franciscum: *S. Francicus, Joannes in vinculis*. Plane ac plene eum in se comprehendit, prout perspeximus: si tantumodo sancta ipsius stigmata excipias! Quanquam nec ista deerant juxta illam Summi Doctoris Hieronymi Maximam: *stigmata Christi in corpore suo portant, qui corpus macerant & affligunt*. Quot diebus ille cruentam & immanem flagellationem, instituebat: quotidianum pariter cilicium gestabat, nec stigmata tantùm, seu emortuas vulnerum notas, sed ipsa etiam viva ad vivumque pertingentia vulnera Christi in se ipso exprimebat. Non habuit equidem Christi vulnus cordi impressum: sed toto non vulnerato corde Deum Dominumque suum diligebat, quinimo Christophoro etiam Peretto, ad suam opem confugienti annô 1656, gemina in latere propè in corde ipso vulnera prodigiosè persanavit, latusque ipsius suæ integritati restituit, ut

P. Kwiatkiewicz S.I. in Annal. Eccl.

Lucas. Vadingnus in Annal. Min.

ut tam ille quàm alii inde Deum suum integro corde diligerent. Quanquam quævis observata in aliquo offensa Dei, insanabile prorsus illius cordis vulnus fuerat: hic quoque in inclyta urbe nostra, ab audito primùm de miraculis ejusdem B. REGIS decreto, conclamatum penitùs communi justoque sensu sacerdotem sibi devotum, à fatis ferè ipsis revocavit: conservatque eousque: conservando pariter, (quod mirabilius) veluti letale in latere illius, tantùm non in corde ipso vulnus. Non habuit B. FRANCISCUS meus perforatos sacris vulneribus pedes, quin ut alienos non raro, ita suos etiam prodigiosè prorsus sanavit, ut superius retuli: nè quam Apostolici ejus labores, cursûs sui remoram paterentur. Sanctis cicatricibus insignitas manus non habuit: verùm non minus sactimoniam ipsius commonstrant illa, in alienis quoque manibus impressa stigmata. Nimirum cùm Matrona quædam cognomento *Angelica*, (faxint superi! ut & re ipsa & Angelicâ virtute quàm plurimæ forent Angelicæ, nec adeò rara esset huic creaturæ virtus Angelica, quàm rarum nomen Angelicæ:) cùm inquam Angelica præfata, manum ingenti penetrasset vulnere; vix dum eam, pulvere è tumulo B. REGIS conspergit, ac obvolvit; protinùs levamen sentit; demum brevi, soluto palmæ nexu, continuo sanam manum comperit: notavit tamen utrinq; manum inflicti olim vulneris index, gemina cicatrix, in modum circuli aut coronæ rotunda; acsi non unam sed multiplicem B: suo Thaumaturgo debitam denotaret coronam. Ubi ego his duabus coronis honori B. REGIS accommodis, rursùm illud Valesi inscribo, quod alibi attigeram: *Manet ultima cœlo*: aut *Prima manet cœlo*. Hæ ipsæ tam insignes & planè palmares, invocatâ B. REGIS ope, prodigiosè expressæ geminæ coronæ, an non signant longè majorem magisque multiplicem coronam ipsius in cælo immortalem? ubi prima & summa illius Inauguratio. Ita nimirum hìc quoque in manu planè est propositi mei argumentum; quòd ad primam B. REGIS Inaugurationem sit multiplex simul corona, multarum summarumque etiam coronarum conclusio: *Prima manet cœlo*, simul *manet ultima cœlo*. Parum id: ibidem adhuc altera, simili cognomento *Angelica* Matrona (mirùm profectò, quod in ea regione adeò non rara sit quæ foret Angelica,) Angelica inquam à quonam Angelorum choro, non exquiro sufficit, quòd ad sacrum Religiosum chorum pertinuerit; in Nova Francia Anno 1675 premebatur afflictâ valetudine doloreque ineffabili: cum pro ea impensæ B. REGIS funduntur preces: conspicit de cælo virum nusquam sibi olim cognitum cum cruce in manu, Doctorali vertice Mitrâve insignem, ac de sanitate, suâ ope benè sperare jubet; tum

 ægra

ægra rogat, quod esset ipsius nomen? *REGIS* inquit *nomen mihi scias*; acsi ipsum cognomentum suum in nomen sanctum & Regium ad coronam natum convertisset. Verùm hìc potissimùm illud expendo; quòd B. meus REGIS, cum in terris ageret; depresso olim prorsus inter abjectum & rude vulgus summô ingeniô & capite suo, remissô nuntiô Doctorali laurui, in ipsa duntaxat cruce gloriando, ac re ipsa cum Paulo dicendo *Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam JESU Christi Domini mei*; ea propter in cælo ac de cælo, Beatis jam redimitus radiis adeò insignem virtutem retegentibus ac coronantibus Doctorali laureâ ad multiplicem augetur coronam. Iam utique in Processu Apotheosis *Magister* an Doctor *Societatis* nuncupatur; ibidemque ei planè eminens scientia Dei attribuitur; dum subjicitur, quòd *in eo non solùm eminens sanctitas, verùm etiam Divina scientia miraculi instar enituit*. Ego huic ipsius Doctorali fastigio cælitùs destinato, latenti olim ac depresso, (cùm alioqui B. REGIS summo polleret ingenio,) sacris illustribusq; retecto radiis, tamquam multipliciter coronato, ut aurum auro, Chrysostomo scilicet meo JOANNI addam; aureum ex voto inscribo lemma: *Suppressum cæli retegunt tectumque coronant*. Jamq; illud ei apprimè consonat, quod alicubi sacrâ paginâ de Aarone perhibetur, utique ille quoque *Aaron* seu *Montanus*, inter montes maximè sanctis laboribus sese immolans sacerdos, *Beatificavit eum in gloria, & induit eum stolam gloriæ; & coronavit eum in vasis virtutis*: tum subjungitur *Corona aurea super mitram ejus, expressa signo sanctitatis & gloria honoris*. Acsi parum esset ipsa duntaxat, adeò multiplex virtutum corona; parùm Doctoralis, Pontificia an Princeps Mitra; adhuc super eam, ultra signum sanctitatis aut crucem Domini, & corona aurea, & omnia honoris decora. Effulget hìc & illa ad primam B. REGIS Inaugurationem Corona, eaque *ex Virgine cera* ad sanctos prorsus radios; quam dum sibi Persona quæpiam ex capite supra modum laborans, instar coronæ nexuisset, verticique applicuisset, spondendo eam ad illustrandum B. REGIS tumulum dicare, protinus dolor è vestigio discessit. At potissimum enitet hìc multiplex juxta ad splendidum diadema illius, seu corona Angelicæ virtutis; quæ in eo juxta Processûs stylum ac testimonium *Eminentissimo* surgebat *gradu*, sanè *virtus Cardinalis*; quam ad prodigium illibatam ut in se ipse retinuit: ita in multis aliis, cum S. Nicolao variis admirandis etiam sanctis artibus servaverat. Plures quoque D: JGNATII PATRIARCHÆ sui exemplo à flagitiosa vita ad colendam castimoniam traduxit, per vim quandoque è manu profligatis protectoribus, aut satiùs proditoribus, prostibula eripiendo

Ad Phil. 3

Eccl. 4

endo quod olim Xaverius etiam aliique sancti egisse leguntur. Plures alios juxta Evangelium, *meretrices prœcedent in Regnum Dei*: cum non puduit, palam etiam more S. Ignatii, illis ut ad cœlum, ita ad tutiora præire; quas ita plures, invicem pernobiles juxta ac inclytas ædes probè distribuit: ut claustra instituisse videretur. Ipse pro illis alendis stipem ostiatim corrogabat, donec eis Religiosas ex professo domos excitasset. Ut verò de S. Bernardino traditur, ita ipse quoque illius conspectus, ipsum etiam colloquium, omnem carnis rebellionem in aliis sedabat. Nec mirum, dum nec ipse unquam in corpore suo eandem, singulari dignoque suis titulis privilegio, prorsus sentiret, cum alioqui continuus in hujusmodi occasionibus versaretur; non aliter ōninò quam Angelus. *Cum in corpore esset, corpus se habere nescivit*: quod nonnemo de S. Basilio testatus. Angelicum olim Thomam Angeli de Angelica virtute securum reddiderant; Beatum REGIS, ipsa Angelorum Regina securum simul faciens; quòd minimè obfuturus esset illius sanitati solius integrâ etiam vitâ aquæ potus: quem sibi severissimus sui ipsius arbiter constituerat: ut tantò faciliùs illud suum privilegium conservaret. Ut ipse erat singularis Angelorum cura, quamobrem ex præcipua pietate & affectu erga Angelum Tutelarem, ad ipsam ejus mentionem, totus videbatur præ solatio diffluere; ita ab Angelis non semel in vita servatus, Angelus sanè in sua vita, sanctam eorundem virtutem in se conservabat. Ad mentionem ipsam lethalis culpæ, deficit propè: ac vix tunc suismet viribus niti valet, prout & Angelus noster Kostka; qui, dum quæpiam lingva procacior verbum innocentiæ adversum effutiisset, sub mensam lababat. Erant profligatioris vitæ, Personæ, quibus vel unum cum eo colloquium, etiam extra sacrum tribunal, adhibitum, exosam reddebat flagitiorum consvetudinem. Ipsa denique ipsius post mortem invocatio, aut denique mentio, dissipabat impuram mentem. Illius operâ quam etiam in corroganda stipe collocabat, in urbibus sui Regni Monspellii & Anicii, erectæ ac fundatæ Religiosæ Domûs, ubi solutissimæ mulieres, undique ab illo coactæ curâ sanctarum Christi sponsarum in claustro prorsus instituebantur. Ædes istæ pientissimæ, *Domûs refugii* ab eo nomen sortitæ: sicut olim in veteri lege memorantur *Civitates refugii*; quinimò Regius Vates olim à Deo, istam ipsam planè domum flagitabat, cum oraret: *Esto mihi in Deum protectorem, & in Domum refugii ut salvum me facias*. Proh dolor! A. D. quòd in nostris quandoque urbibus Christianis, tot prædicta reperiantur prostibula, ut pro eis non unâ ejusmodi domo, at totâ civitate refugii opus esset: non in hac tamen (absit opinandi licentia) urbe, quinimò

Processus Beatif. p: 173.

S. Ephrē

Vita Re[gis] hoc anno impressa ex processu Beatifica:

Josue 2,

Psal: 30

mò hic est, vel utinam sit *Civitas refugij*, adeo in prædicta facinora vigil, prout ille Domûs refugij fuerant. Pro adeò ingenti suo erga Deum Sancto merito, quis explicet? quoties à lasciva adolescentum procacia, non tantùm ignominias & alapas (hìc quoque cum Christo) non tantùm varia opprobria & inanium verborum calumnias, verùm immanes quoque sustineret fustes & verbera: quæ ille cum ineffabili patientia, Deo tantùm omnia, se verò majori lubens offerebat furori. Lutô non rarò intectus, ac ignominiosè proculcatus, à procaci adolescente, nihil omnino agit, aut dicit, nisi sociũ accurrentẽ prohibet: ne furenti obsistat, quinimo coram judicio accerrimum agit Patronum: quod hujus facinoris postulabat justitia. Non rarò illum homines profligatissimi ex insidiis adorti sacrilego perempturi parricidio: jam pugione cordi, jam ense cervici intentato: prodigiosè tamen non sine Numine præsentissimam evadebat mortem: quod ipsum illi flagitiosi fatebantur, subitò ad saniorem mentem reversi, ac confestim peccata sua coram eo sacrâ exomologesi expiantes. Illud vero *potissimum & quotidianum tenerrimumque quamvis non delicatum, ipsius erat Matyrium, omni studio in gloriam Dei incûbere, & tamen inertem, nullum, nulloque numero hominem, pluribus videri*, ut sapientissimè notat noster Magnus ipsius Historicus: summum quoque illi facessebat negotium; prout aliquando cuidam familiariùs aperuit; *quòd in propaganda pietate, unà cum vitiis ac virtute adversantibus, dimicandum sibi esset.* Ita, nec sine Martyrii corona, B. meus REGIS, cujus obtinendæ gratiâ, toties, in adeo sanctis occasionibus, õnes nervos intendit, ut non alacritas Martyrio, sed alacritati Martyrium deesset; quippe illius consequendi studiô, in novum etiam orbem, inter feras gentes, per vim prope sæpenumero prorumpere nitebatur: *Etsi animam gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen Martyrij non amisit.* Quanquam in Illustrissima ipsius Domo, præter Doctorales & victrices in Martiali campo laurûs, non deerat olim quoque ipsi Martyrii etiam corona: quâ de re fusiùs Historici. Floridissimè Beatus REGIS, Liliorum Galliæ immarcescibilis Flos, & Liliata Gallici Regni Patriæ suæ nuncupatur Corona; verùm & illud præter dicta diademata attribuere ipsi possum, quò in Cant: nonnemo exornatur, qui *vallatus Liliis* an coronatus esse dicitur: cui demum apponitur: *Caput tuum ut Carmelus, comæ capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus.* Caput profecto elogiorum B: REGIS est, quod sacro Carmelo principaliter illum exornanti ac dilaudanti comparatur, *Caput tuum ut Carmelus.* Carmelus plane Mons sanctus, notat mihi eminenter sanctam Reflorentis Carmeli Matrem Theresiam

Cant. 7

Reflorentis Carmeli Cras: Caput, Beatum REGIS Primâ ejus

resiam: cui dotis loco cælum obtigit à sponso [Christo, (si sacro quidem Oratori credimus,) notat simul cælum integrum, usitatò alias sacræ paginæ stylô quod in avito etiam suo Luminari præfert: ipsi quoque capilli hic dilaudati, juxta sacros interprete, notant Divos Cælites, Christo, ceu suo Capiti adhærentes, ita quot capilli in capite, tot pæne quodammodo Divos Cælites imo cœlum integrum, simul omnia inclytæ Domus suæ decora, in sua corona, in Martyrii plane purpura adeo studiose exambita, sancto prorsus nexu illigat ac concludit B. JOANNES REGIS ad primam suam Inaugurationem, *electus* planè *ex millibus*. Attribui illi quoque in elogium potest: *Caput tuum ut Carmelus, comæ Capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus*: *JOANNES in vinculis*. Alii Cœlites unum præferunt, Angelicæ scilicet virtutis insigne: B. meus REGIS, ut potè qui tot Divorum etiam summorum innocentiam complexus, pluribus coronatur liliis. Non ipsi duntaxat rudiores ejus anni, verùm tota illius vita innocuis circumdata, coronata Liliis: *Venter tuus vallatus Liliis*. Ipsa quoque avita Corona Franciæ, Gentilitia sua Lilia, pro digno sanè Triregio, *Florum Lilia Reges*, Beato suo dicat; *Dat Gallica Flora Coronas*. Et profecto: *Par generi meritisque corona*. Quanquam ipsum unum quoque B. REGIS innocentiæ Lilium, nunquam temeratum, in multiplicem ac Imperialem abit coronam. Mirum illud; quòd S. Ecclesia dicat: *Sancti florebunt sicut Lilium*: *Sancti*, & tamen *sicut Lilium* non *sicut Lilia*? Ita videlicet, unum hic innocentiæ lilium B. REGIS multos in se ac summè coram Deo florentes comprehendit, sanè *Lilium convallium*: unum Lilium, tot tamen locos *in plurali* implet. Spectate Divum REGIS, qui in ardenti precatione circumquaq; nivibus penè obrutus, gelidam ante postes templi exigebat noctem; tanquam præ amoris Divini æstibus sævientem brumam non sentiret, seu nivium seu innocentiæ illius candorem attendatis, an non Lilium, idq; multiplex? *Sancti florebunt sicut Lilium*. Exod 25 Præcipit Deus Moysi in sanctuario suo quasdam conflare *sphærulas* simulque totidem Lilia, omnia verò *instar nucis*; acsi unum lilium, toti sphæræ universum efformanti par esset. Minutiores istæ ad Lilia sphæræ, illi veluti sunt thaumaturgi globuli, ex tumulo B. REGIS conflati: de quibus Historia sanctæ ipsius vitæ meminit; in quibus eximius hic Sanctus, universum quodammodo terrarum orbem nec unum consecravit, terram ipsam reliquiarum ergò impertiendo. Ad has sphæras, quæ universi ambitum ac cœlestes orbes denotant; ceu quondam ingens liber, *Ilias in nucleo nucis*, comprehensus; pariter florentissimus suis Liliis, B. REGIS, an non tanquam

festâ luce in æde SS: Petri & Pauli dilaudat principali sacrâ panegyri.

Brunner in fastis Marianis

Ovidius

Aurelius Nemesianus.

Offic: Divi: de SS. Mar.

Cant: 2.

in nucleo includit in se totam summorum Cælitum Iliadem, totum fermè librum vitæ vitasq; Sanctorum? *Sphærulæ & simul Lilia instar nucis. Venter Tuus vallatus Liliis.* An verò non huc *quoq; respexerat Dominus cum ad Discipulos diceret: Considerate Lilia agri, nec Salomon coopertus est in omni gloria sua, sicut unum ex istis:* Unus Liliorum, hicque campestris planè an agrestis Flos, *Lilium agri,* Beatus REGIS, qui cum agrestibus præsertim agricolis agebat, in rudi etiam gleba ceu in agro tumulatus, superat omnem Regiam Salomonis gloriam ac decus, plurium in se & summorum decora complexus: *Vallatus Liliis.* Verùm ipsis adeò Regum coronis præstantior, æstimo, illa B. REGIS rudis alioqui à rudi populo dedicata corona: de qua, Historia ipsius vitæ meminit: quòd agreste illud vulgus, ubi hic Beatus supremum diem obiit, metuendo, ne sibi vicinorum pietas S. corpus è monumento sustulisset, condiderunt illud in crassa admodum solidâque arbore instar tumbæ excavatâ; quam multis circũ ferreis cinxerunt nexibus, velut coronis: ne inde facile tolli potuisset: ita profundiore tumulo (ad elevandam sublimius ejus demissionem & sanctimoniam) altiùs obruitur; demumq; super eo ara Divinæ Parentis exstructa. Enimverò hic vel maxime jam B. meus REGIS *JOANNES in vinculis.* Nostis Eruditissimi Auditores; quòd in Imperatorum Inauguratione, inter tres coronas, primum etiam sibi locum vendicat ferreum diadema; quô primum, antequam argenteum aureumve Cæsareo surgat vertice, Imperator redimitur; merito id equidem: dum ne aurea quoque securè fixa hæret corona, absque ferro. At enim plures juxta ac præstantiores Imperatorio Triregis, illæ B. REGIS ferreæ coronæ, ita sanctimoniam ipsius cingentes, & ornantes: *Joannes in vinculis.* Exiguæ vero ad hæc etiam istæ Beati REGIS tot tantæque coronæ; adhuc super illius sancto corpore, hæc cum ara sua imponitur; quæ *Corona Sanctorum omnium* nuncupatur; ut vel inde assumptæ veritatis meæ luculenter eniteat argumentũ: quòd ad primam B. REGIS Inaugurationem, plurium sit unàque summorum, quinimò omnium Divorum Cœlitum Corona sive conclusio: *Joannes in vinculis.* Nec immerito: hîc videlicet jure fateri cogor; quod *laudator*, aut veriùs, rectissimo anagrammate *adulator* dixerat cuipiam: *quæ in aliis omnibus elogio celebratis fuere singula, in te uno sunt singularia.* Quidquid in aliis diversis Cœlitibus audimus singulare; totum id propè in B. REGIS ad prodigium eximiæ sanctitatis spectare licet; ut, quæcunq; ad Divorum quorumvis Apotheosim heroicarum virtutum esse poterat: (quarum aliqua ad eandem cujusvis Apotheosim requirì consvevit sufficitque aliqua:) illas omnes, B. REGIS in se concluserit

rit, in quo & omnes erant, & non aliæ, quam in summo heroicæ, ut quamcunque virtutem ejus recenseas, quævis sigillatim satis illi esse posset ad Apotheosim obtinendã. In cæteris passim Cælitibus, una aliqua virtus aliis eminet, ceu character aut insigne reliquarum; in B. REGIS meo, ita quævis supereminet; ut quævis singulare posset esse aliarum, & præ aliis insigne, nisi illi aliæ quoq; in eodem Beato pares essent. Profecto jure Tibi, Magne, Maximos etiam in se Cælites complexe Generalis planè Tutelaris, acclamare possum, *Quæ divisa Beatos efficiunt, collecta tenes*, Coronæ Cælestis Divorumque Cælitum prorsus Unio. Id ipsum enim verò B. REGIS mei præconiũ est, ex ipso Vaticano oraculo sanè amplissimum, in suo Brevi referens, *multipliciter vitæ sanctitate & virtutibus heroicis illum claruisse*. Quare quis non concludat? ex merito, supra illum sanctumque illius corpus universos Cælites concludentis, depositam *Sanctorum Omnium Coronam: Joannes in vinculis.* Sanè meritò huc in elogium Divo Regis illud adduxero quô Eccl. 50, Simon Sacerdos exornatur: *Quasi stella Matutina & quasi Luna in diebus suis & quasi sol refulgens, & quasi arcus inter nebulas gloriæ, & quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi Lilia*, pluraque alia id genus, quæ inibi referuntur. Tum demum subditur: *In ascensu altaris sancti, circa illum Corona Fratrum, amplificare oblationem excelsi REGIS.* In festivo B. REGIS ad aras inter Divos ingressu, ad primam ipsius Inaugurationem, adest confestim corona jam ex Beatis, jam ex suprema Quirini Stella, jam ex Iride ibidem ultra summos Montes inter ipsas nubes gloriosè eluctata, jam ex serenissimo Sole, jam ex Illustrissima Luna, jam ex rosa Martyrii; jam demùm ex innocuo Liliorum serto, jam denique ex circumfusis Fratribus suis, Electis Cælitibus, universa cælestis assurgit corona: *In ascensu altaris sancti circa illum Corona fratrum amplificare oblationem excelsi REGIS.* Quis proinde jam fidem veritati non adhibeat? quòd Magnus Beatus hodiernus JOANNES FRANCISCUS REGIS, multiplici & summorum in prima sua Inauguratione cingatur corona, vel pro ipsa adeò ingenti (exemplo Francisci Seraphici) sui ipsius depressione. Verùm ut hoc ipso profundæ ipsius humilitati gratificer; non eum cum Francisco Seraphico, id est terrestri Seraphino, confero: Satiùs, arctissimè rem proponendo, ita mecum expendo: quòd scilicet sicut aliæ sacræ Congregationes, ac varii Religiosorum ordines, diversis suis Sanctis, diversos Angelorum augent Choros; ita è novem hactenus Sanctis in Beatorumve album relatis Religionis meæ Cœlitibus, ad primam ac supremam Angelorum Hierarchiam spectat Ignitus primùm Fundator meus, D. IGNATIUS tanquam

quam Seraphinus; alter, FRANCISCUS XAVERIUS tanquam Cherubinus novi orbis, *Cherub quasi Magister*, utiq; inibi ita nuncupatus; tertius ad Angelorum Thronos pertinet FRANCISCUS BORGIAS, utpote Magnus Sanctus Pro-rex. Ad alterius Hierarchiæ triplicem chorum feruntur tres Sancti Martyres nostri Japonenses, PAULUS, JOANNES, & JACOBUS. Ad tertiam Hierarchiam Regnorum ac Regionum universorumq; hominum Tutelarem, spectant tres Beati nostri Custodes: primus B. STANISLAI KOSTKA, Angelus planè Custos Poloniæ, alter B. ALOYSIUS GONZAGA, Mantuanorum etiam in Lechia nostra Marchionum decus Regno quoq; nostro consanguineum; tertius hodiernus B. REGIS qui utpote nonus ac ultimus interim Angelorum aut Divorum nostrorum Choris per publicā apotheosim infertur, sub magno Michäele Archangelo Angeloq; simul Angelici Ordinis ac Reipublicæ Generali, Duce supremo

Offic: Div: de S. Michäel Paradisi Præposito, prout & in officio Divino legimus: *Angelus Archangelus, Michäel Præpositus Paradisi* & plura ejusmodi; ita est quodammodo ex ultimo nono Choro Angelus: qui sanè continuò Angelum Custodem humanæ salutis agebat, privatis ut plurimum & abjectis ac vilissimis pientissima dicando obsequia. Verùm enimverò, ut S. Thelogia docet, Angeli nomen, quod commune est omnibus novem Choris Beatorum Spirituum, speciatim denotat postremum Angelorum Chorum, qui hoc generali singulariùs censetur titulo, ac si omnes illos Choros in se comprehenderet. Ita & Magnus olim Præcusor Domini, Angelus duntaxat, tanquam ex ultimo Divorum Choro nuncupatus, *Ecce ego mitto Angelum meum*; & B. quòque hodiernus JOANNES FRANCISCUS, REGIS, tanquam Angelus, ex ultimo licèt nostrorum & Divorum Cœlitum choro, plurimos eorum ac summos, quinimò omnes in se comprehendit ac concludit; hìc quoque *Joannes in vinculis*. Ultimus quantumvis sit Beatorum, tanquam minimus, Societatis minimæ filius: illud tamen de eo testari juvat: quod Isaiæ 60. legitur, *Minimus erit in mille, & parvulus in gentem fortissimam*: qui utiq; quasi mille in se uno contineret, millies in mortem sese Deo ceu amoris victima litabat: potissimùm, dum se pestiferorum obsequio devovisset, prout testatur Processus Beatifiationis. Concludit in se universum Beatorum Cælum: ita sanè, prout dum SS. Patres & Theologi Quæstionem instituunt: quandonam Angeli fuerint procreati? num ante hunc mundum visibilem? an una cum illo? De quo sacra scriptura ita duntaxat disserit: *In principio creavit Deus*

Gen. 1 *cœlum & terram*. Gregorio Magno interprete, nomine cæli, Angeli designantur; ac si Angelus ex infimo etiam ac ultimo choro, totum cælum ac coronam cunctorum cælitum comprehenderet.

Com-

Communis adhuc est Theologorum sententia; quòd *via Angelorum* sive tempus meriti Angelici fuerit admodum breve, duobus duntaxat momentis circumscriptum: tamen unum etiam Angeli momentum ævum Angelicum nuncupatur. Ad hunc planè modum B. mei hodierni carnem humanam induti Angeli, vita & tempus meriti sanè fuit *via* illaque *Angelica* an Misionarij: *Angelus* quippè, ac *Missus*, idem sonant. verum licet tempus meriti illius admodum esset modicum: si ingentem animum ipsius Apostolicum respexeris: attamen ævum an æternitatem universam, adeoque plures ille, ac summos in se complexus. Et verò, hujus ipsius propositi, mors ipsa non obscurum sit argumentum *Perditio utiq; & mors* Job 28 *dixerunt auribus nostris, audivimus famam ejus.* Beatis proximus fatis, ut ibi gignatur cælo: ubi Christus terræ dignatus est nasci; exorat impensis precibus: ut in vicinum deferatur stabulum, supremam inibi obiturus olim diem. Verùm spectate Auditores: ubi B. obiit REGIS, ipsum adeò stabulum in cœlos propè abiit! suspicit ibidem prodigiosè cum ipso Martyrum Rege Divo Stephano apertos cœlos: descendit fulgentissimâ Divorum Cœlitûm cinctus corona, cum Matre sua Divinissima Filius Dei, simulque eum invisit ac invitat, ad cælestem coronam, promeritum scilicet laboribus suis præmium. Ubi jam Beatificatus propè meus REGIS, expirando, simul ineffabili delibutus solatio exclamat: *Video meum JESUM, video meam & ejus Matrem & jam mihi reserant paradisum.* Vita B: REGIS hoc anno edita Romæ ex ipso Processu Beatifi: Ergò ad Deum suum exclamans illis ipsis Christi verbis cum Nicolao Præsule, *in manus tuas commendo spiritum meum*! decedit beatè anno 1640, idest anno ultimo, quo primum Religionis meæ clausum est seculum; Processus Beatifi: quinimo mense ultimo ac etiam die, horâ denique ultimâ quæ totum concludit annum. Ita natus olim ultimâ die Januarii, ad coronam ejusdem mensis, in arce *Fons coopertus* Tanner. dictâ, & præfatum annum & totam sanctam vitam suam Nomine JESU tanquam Societatis nostræ Sigillo obsignavit, ad auspicia statim lucis eidem Magno Nomini & nostro titulo Sacræ extinctus, sanè *hortus conclusus, fons signatus* SS. Rosas, Hyacinhos, Cant: 4. Narcissos, Florianos, aliosve cælestis Paradisi flores in se concludens. Jam itaque colligite A. D. non ex concionatoriâ duntaxat sententiâ, at ex ipsa eaque adeò certa Sanctæ ipsius vitæ historia: an non in prima B. REGIS ad coronam Divorum Cœlitum Inauguratione, in beato obitu, an non plurium simul ac summorum effulgeat corona ac conclusio? an non illud in glorioso ipsius ad superna ingressu insonabat? *Attollite Portas Principes vestras & elevamini portæ æternales, & introbit Rex gloriæ*; Cum ipse quoque Christus Dominus ac Divorum Regina, ad Paradisum ut

alteri Eliæ, quinimò ad immortalem gloriam cœlestes illi pandunt portas; ac ubi de cœlo ad eum descenderant, unâ cum eo ad gloriam perennē rursū ascendunt. Ille cum Magno Turonensi Antistite Martino protestatus coram Numine: *si adhuc populo tuo sū necessarius, non recuso laborem*: hìc verè tanquam *Gemma* seu Unio *Sacerdotum* ab universo cælo integrâque Divorum Coronâ per ipsū adeò Christum ac Matrē Divinissimam ad superna invitatur augustalia. *Mane nobiscū in æternum*. Colligite, ac concludite, ubi cœlestis & Summorum Corona ad ipsum descenderat, ac simul ubi supremo Nomine vitam suam obsignaverat; an non sanctâ vitâ suâ plurium in se & Summorum decora obsignavit ac conclusit? Profectò in prima sua Inauguratione, plurium simul ac Summorum coronam, seu conclusionem, ipsemet D: REGIS aspexit, cœlum palam commonstravit, ac eidem impertiit: *Video meum JESUM, video meam & ejus Matrem: & jam mihi reserant paradisum*. Conclusit B. REGIS, claudendo simul sanctam vitam suam, totum quoq; primum Ordinis mei seculum, (quod IGNATIUS Divinissimus PATRIARCHA exorsus;) ac ipsius Sanctos, unaque cœlestem annum, integrumq; Divorum album se ipso ac in se ipso velut in Corona conclusit, planè *Corona anni*, cui benedicturus erat Dominus; ut Regius spondebat vates: *Benedices coronæ anni benignitatis*. Quinimo id ipsum omninò prædixerat insignis æq; ac pientissimus sacerdos: cum de navante adhuc operam addiscendæ Theologiæ Divo REGIS hodierno, juvene protunc Magistro, non sinè Numine prophetaverat: *futurum olim tempus, quô festum ipsius solenni celebrandum esset cultu*: quod aliquatenus, faustè admodum anni nostri, in Beatificatione ipsius, beneficio *CLEMENTIS* XI. Pontificis Maximi attigêre. Bono spero omine, licet nec *minor* sim *Propheta*; futurum, Deus Pientissime; ut Tuo favore, (utinam verò quantocyùs!) propitiô, hic adeò Magnus, ac supra modum Magnus Sanctus in Tuam unicè ac ubique gloriam, tanto nisu & labore, tanto cum sui contemptu incumbens, universali per totam Ecclesiam colatur festo: *Benedices coronæ anni Benignitatis Tuæ*. Alii sæpenumero ad Beatam cœli coronam contendunt quidem, at in unica ætate sua, in florida tantùm scilicet, aut tantùm deniq; decrepitâ: quales & in morali sensu ferè *nox innumeros parit una fungos*: B. meus REGIS, & infantiles, & pueriles, & adultos, & viriles annos, deniq; omnem ætatem humanam in se, prout Christus Dominus ad immortalem coronam consecravit; *In mensuram ætatis plenitudinis Christi*; omnium ætatum humanarum sanctimoniam in se complexus, in qualibet ætate supra modum constantissimè sanctam vivendo vitam. Ita vel ad primam

B.

Offic: Div de S. Martino

Psal. 64

Ad Eph: 4

B. REGIS Generalis planè Beati, singularis simul inter Beatos REGIS inaugurationem, est plurium & summorum, quinimo ætatum etiam omnium Corona; quas in se sanctiori fœdere conclusit; *Joannes in vinculis*: *Benedices Coronæ Anni*: Benedicta hæc *Corona Anni Benignitatis, sive Clementiæ?* jam tantùm propter magis multiplicem summorum Coronam Divinissimo REGIS meo, unà quoque Corona Clementiæ ac Clementis Maximi Universalis Pastoris nostri esto, etiam pro hoc ipso Beatificationis beneficio, utpotè omnino illic debita, ubi *Clementia regnat.*

Prout à conclusione plânè auspicatus eram; ut illud posset mihi quispiam attribuere: *Cæpisti quà finis erat*, ita paulò fusiùs deductâ veritate præfixâ, nulla jam dictioni meæ superest conclusio, A. D. nisi ut & posthac immortalis corona nostra, Beato Divi REGIS exemplô & auspiciô, unà cum eo, (faxint superi!) effulgeat; ad quam cuivis connitenti, aut conniti obligato breve istud, at hìc tantùm ad sancta B. REGIS mei vestigia non alibi (avertant superi) depromo ac suggero consilium; *REGIS ad exemplum vive, Beatus eris*: simulq; ut ipsius ope, nostra Poloniarum Corona, inconcussa permaneat; quæ publicos suos Tractatûs pacis, licet hi magis ferè mensarum bellariis insumendis, quàm belli remediis absolvatur, his ipsis diebus concludere contendit; quanquam ea conclusio Tractatus, est planè ut nonnullis Philosophis *terminus vel unius horæ*, trahitur pæne sinè termino sinè fine, *divisibilis in infinitum.* summum utiq; Vobis DD. Poloni mei, spei esse consuevit in extera protectione, quamvis eâ quandoque, ut dicere necesse sit cum Psalte Regio; *Protector a quo trepidabo*: hujus itaque hodierni in Regno nostro Hospitis, exteram quidem sed tutissimam protectionem sanctam imploremus; ne trepidemus attendentes expendentesq; illa Æternæ Veritatis verba ex Officio Divino, velut ex officio nobis hodie inculcata sub solennem Gratiarum actionem pro victoria quondam Polonâ *Cum audieritis prælia & seditiones nolite terreri, oportet primùm hæc fieri.* Hospitum Maxime, qui hodie hìc & in omnibus Sanctuariis nostris toti Poloniæ Regno, salut aris, qui innumeras prope gratias etiam incognitus plurimis, invocatus tamen, præstare dignaris; (*Ad quod ipsum etiam arctius referendum tota rursus concio instituì deberet.*) cujus insuper Decretum Beatificationis conclusum, ipsâ die Magni Tutelaris Regni nostri Martyris & Præsulis hujus Urbis: alter quoque Magnus Regni nostri Patronus cessit Tibi quodammodo titulos Beati, Decretô Canonizationis suæ ante Tuam Beatificationem potius; aut saltem asseruit Te ad suos titulos; si eos nondum plenè cessit, quod hactenus jam duos fermè annos ejusdē Canonizationis infeliciter tardet

Psal: 26

 coro-

coronis ob fædam erga tantum Regni noſtri Tutelarem, eorum maximè parſimoniam; quibus abundè ſuppetit, quod impendant etiam in illa, quæ ſe minùs decerent. Tardat ſimul publica quoq; Regni noſtri tranquillitas: quippe jam & Roma ipſa fatetur, ac nos etiam vix non palpamus univerſi illud, quod nonnulli in Regno noſtro velut Prophetiam æſtimant, *quòd licet nobis multoties pacis ſpecies effulgeat? aut etiam veluti jam jam inchoetur, an potiùs concludatur* (ut dicitis) *ſeu finiatur in ipſis ſuis principiis, pax exoptata: eo uſque perfecta ſtabiliq; pace non potietur Polonia, donec in effectu; Canonizationi B: STANISLAI KOSTKA coronis imponatur*: ut hic Angelus plane Cuſtos Poloniæ ſit ſimul eſſeq; cupiat Polonæ Angelus pacis. Ita quod detrectamus, exequendæ jam decretæ Apotheoſi Sacri noſtri Poloni tantiq; ſimul publici Tutelaris, propriâ ſponte impendere, centies quinimo millies millieſq; geminatum, in varias & exteras, nec adeo ſanctas executiones (ut vocant) militares, minimè rogati imo prorſus inviti cogimur erogare: diciq; etiam hic cum minitante Chryſoſtomo jure poteſt, verbo duntaxat immutato, *Dabis impio militi, quod non vis dare pio & Sancto Tutelari.* Proh dolor! ubi modo degis antique amor Patriæ, ac munificentia Polona erga Sanctos præſertim ſingulares Tutelares Tuos! quæ quantò plures opes eorum cauſa impendiſti, tantò pluribus à Deo cumulabaris beneficiis, eo diutius, gloriâ ac opibus augebaris. Ad Canonizationem de more duo ſaltem miracula exiguntur: B. STANISLAI KOSTKA prodigia ſunt penè innumera, eſt & iſtud ſingulare, quod illi S. Eccleſia accinit ex Eccl: *Poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecunia & theſauris, fecit mirabilia in vita ſua*, quinimo ſenatorias tantæ protunc Proſapiæ ſuæ facultates proculcavit, relinquendo eas, ipſumq; earum contemptum quaſi ſuæ demum Apotheoſi. Et magnum profectò prodigium, maximè verò hac tempeſtate depravatoque ſeculo, non ſectari opes; *Poſt aurum, non abiit nec ſperavit in pecunia & theſauris: quis eſt hic & laudabimus eum: fecit mirabilia in vita ſua.* Unius id vel alterius duntaxat Magni Staniſlai ſtupenda virtus, Regiâ publicâque ab univerſis panegyri, diademate etiam eoque multiplici, pro tam multiplicibus ſuis (quæ nulla ſatis loquentur elogia) ad ſæculorum memoriam præclarè actis, apprimè digna; *poſt aurum non abiit: quis eſt hic?* univerſus at maxime Polonus Orbis, communis fama, publicum cunctorum præconium ediſſerat: *quis eſt hic? laudabimus & laudabimus eum, fecit mirabilia in vita ſua.* Nunc adverſo opus eſſet miraculo, B. STANISLAO KOSTKA; ut ipſe *poſt aurum abeat*: ut aureum ſubſidium pro Apotheoſi ſua miraculoſè ipſe emendicet, quæratque illud, quod adeò

heroicè contempſerat, ac in Regno noſtro reliquerat, mendici ritu & habitu, Romam Divini ſervitii gratiâ maturando. At ſiccine incertum erit? quouſq; futurus ſit *ſimilis* exſpectantibus Dominū? quouſque exſpectaturus magnificam cujuſpiam munificentiā. Siccine jam amplius *non ſperabit in pecunia, & theſauris* noſtri Poloniarum Regni? At hæc tantum incidenter perſtringo. Tu ſaltem Diviniſſime noſtrarum Regionum Hoſpes, Neo-Beate hodierne Thaumaturge, de quo illa erat inter complures fama; quòd prodigioſè impendia Apotheoſi Tuæ provideris; deduc ad felicem coronam, eam quoq; B. STANISLAI KOSTKA Apotheoſim: utique ille Te ad ſuum Beati aſſeruit titulum; admiſit ad ſuum Poloniæ Regnum; ac velut Polonum adſcivit Indigenam; ita Tu quoque cum illo admitte ſub tutelarem opem Tuam, afflictiſſimum id Regnum, noſtrum imò etiam Tuum, cum Tuo videlicet Gallicæ commune in Valeſio, conſangvineum in Sereniſſimis noſtris Principibus Sobiesciis Regnum. Utique *Miſſionarium agendo in campeſtribus* teſte Hiſtorico, planè es *flos campi & Lilium convallium* non unum duntaxat campum non unam vallem implens, (ut potè qui plures in te concludis) conſiſte nunc in noſtra quoque à campo Patriæ linguæ dicta *Polonia* in lacrymarum profectò valle, ceu in valle ultimæ diei decretoriæ, *in valle Ioſaphat*. Spectabatur hic aliquando teſte Cromero cruci affixus Servator JESUS ſuper Cracoviâ, ingenti circumfuſus luce, manu cruentum gladium ac fulmina vibrans, magnis paſſibus per aerem in Majorem Poloniam connitendo; verùm ubi medium Poloniæ tenuit; abjecto procul mucrone ac fulminibus, unâ manu laurum alterâ olivæ ramum ſignum pacis, præferens, diſparuit. Spectabatur ſimul Te præſente REGIS Beatiſſime: cùm certior factus eſſes in campeſtri Tua Miſſione, quòd viciniam graviſſimum iræ Dei ac peſtis depaſceret incendium, & cùm ab illius loci prudentiſſimo Paſtore, (qui alioqui boni publici injuriam ratus, Tuam nonniſi interceſſionem pro ſuo populo ac ſe ipſo implorabat) nullis etiam enixiſſimis precibus impetrare potuiſſes, ut vitam Tuam peſtiferorum ſaluti immolares; vix dum manûs ſuſtuliſti, Regioni illi benedicens, ter cruce efformatâ (ſanè velut Beatiſſimus) confeſtimque monuiſti, quòd indè procul contagio illa diſceſſura eſſet: ſpectabatur, quòd protinus receſſerit. Benedic& huic miſeræ Poloniarum Coronæ; *Benedices Coronæ*; ut à Benedictione ac Beatificatione Tua, iræ Divinæ æſtus reſtingvatur, ut ſuffixus cruci, nunc planè cruentum gladium ac fulmina in Poloniam vibrans, *Adhuc manus ejus extenta*, ad crucis Tuæ benedictionem procul gladium & fulmina abiiciat; & laurâ triumphali, ac ſimul oleæ ſeu pacis coronâ, calamitates

Proceſſus Beatiſi: P. 342.

Iſa: 5.

 noſtras

nostras publicas concludat: ut & hic ad primam Inaugurationem
Emman. Thesaurus in idea argutæ dictionis. Tuam, & ista multiplex simul eniteat corona, & ista gloriosa conclusio. Frustra frustra in eis pacis concludendæ fiducia collocanda: quos exsugillavit Colonellus quisqiam Hispaniæ coram Joanne Austriaco, qui dum ab eo percontatur, quem idoneum concludendæ paci existimet? *nullũ inquit ad istud munus magis habilem censuerim Alphonso, qui longè utiq; prælium ac Martialem arenam declinat:* quô perstrinxit tum ipsius fugam ex anteacto prælio, tum non heroum sanè animum, magis ad molle otium, quàm ad Martiales campos doctum. Tu potiùs Neo-Beate Hospes, ac simul Tutelaris jam noster, conclude jam calamitates Lechicas: conclude, ut è re nostrâ futurum optime æstimaveris, pacis nostræ consilia, quæ Deum, Religionem orthodoxam, ac libertatem attinent. Conclude & termina omnes, maximè inter Magnates, tot simultates, odia, ac venalia facinora: ob quæ non unus *venalis Curio*
Lucanus
3. Regum 21 *lingua: venundatus est ut faceret malum*, Præsta hanc primam gratiam in prima Inauguratione Tua supplici Regno nostro, ut non in folio duntaxat, *quod vento rapitur*, speciosâ früatur pace, cui
Jerem: 6 jure illud adscribendum esset *Dicebant pax pax, & non erat pax*, verum ut sub Tuis auspiciis ac ope, in concussa perennet nostra Poloniæ Corona. Nos verò Tibi, qui in Te tot secula Divorum Cælitum conclusisti: per universa usque secula, & in Te Regi Regum gloriam reddemus immortalem, accinendo: *Regi seculorum*
1 da Tim. 2. *honor & gloria in secula seculorum* AMEN.